

Canon.

36

DISSE²RATIUNCULA
THEOLOGICO - CANONICA CRITICA
AD
GREGORII NONI PON-
TIFICIS MAXIMI LIBRI TERTII
DECRETALIUM
TITULUM PRIMUM
DE
VITA CLERICORUM

AN
STATUS ECCLESIASTICUS
EX SE ET GENERE SUO SIT ABSOLUTE
PERFECTIOR RELIGIOSO ATQUE ADEO
OMNIUM PERFECTISSIMUS.

SACRAE PAGINÆ SACRORUM
CANONUM SANCTORUM PATRUM
EXIMIORUM IN SPECULATRICE THEOLO-

GIA ET CLARISSIMORUM IN SACRA JURISPRU-
DENTIA ANTECESSORUM AUTHORITATE
FIRMATA SOLIDISSIMIS RATIONI-

BUS STABILITA

INDESINENTI DESIDERIO ETHORTATU
PLURIMORUM SAPIENTUM ELUCUBRATA

AB


AUTHORE QUODAM ECCLESIASTICO.
EDITIO TERTIA CORRECTIOR.


SUPERIORUM PERMISSU.



AUGUSTÆ VINDELICORUM.

SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGERI , BIBLIOPOLÆ 1752.





APPROBATIO CENSORIS.

HÆc Dissertatiuncula Theologico - Canonica Critica solidè, & diligentissimè conscripta ad plurimum Clarissimi Authoris sui honorem prælo, & luce publica est dignissima, ità censeo Augustæ Vind. 1. Junii 1750.

Imprimatur.

Ex Vicariatu 1. Junii. 1750.

Nicol. Antonius Seiz, J. U. D. Sanctissimi D. N. Prælatus Domesticus, Eccles. Cathedr. August. Canon. Capitular. Rev. & Seren. Princip. & Episc. August. Vicar. in Spiritualib. Generalis. mppria.

Franciscus Josephus de Handl,
SS. Theol. Licent. Serenissimi
& Reverendiss. Princ. & Episc.
August. Consil. Eccles. Major.
Pœnit. & Libror. Censor. nec
non Insig. Eccl. Colleg. ad S.
Maurit. Paroch. & Canonic.
mppr.



Præpositio
Ad
Lectorem Sacri Juris peri-
tum.



Omnis prope modum ho-
mines, qui pertinere
ad humani officii cul-
turam existimârunt, ut
aliquot opus studio ingeniorum ex-
cuderent, id spirituali cura elabo-
rârunt, ut sive utiles, ac probas,
sive inutiles, atque improbas ma-
terias sibi delegissent; seriem tan-
tum



tum verborum eloquentiae nitore illustrarent, causisque ipsis, quas loqui vellent, loquendo faciem accenderent, itaque ad hanc se partem ex utroque genere litterarum scriptores contulerunt, non satis considerantes quam probabilibus se materialiis impenderunt, dummodo ea, quæcunque dicerent aut compto stylō adornarent, aut vocibus vacuis erigerent, vel luculenta oratione narrarent. Plurimi numero Canonistæ alterius quam Ecclesiastici Ordinis in decretales commentantes causas tantum egerunt suas, ad titulos : *de Statu Monachorum*, *de Regularibus*, *& transeuntibus ad Religionem*, *de Privilegiis*, ac alios omnes tam se directè attinentes, quam vel indirectè attingentes tersissimi, magisque propriis laudibus, quam aliorum utilitatibus consulentes non



id facere adnisi sunt , ut salubres & salutiferi , sed ut scholaſtici ac diſer-
ti haberentur. Eapropter opellæ nonnullorum ejusmodi in decreta-
les aut sunt fucata latinitate tumidæ,
turgentésque , aut de falsitate in
multis ſententiis ſuſpectæ , aut de-
niue defectuolæ ; ſiquidem nume-
roſiſſimos Hierarchiam Eccleſiaſti-
cam evehentes titulos ſummarie præ-
tereunt non niſi per transennam ſalu-
tantes , ad titulum Principem libri
tertii decretalium : *de vita & ho-
nestate Clericorum* excellentiam vi-
tæ & ſtatus Eccleſiaſtici pro virili ex-
ponere negligunt , aut ex condicto
omittunt. Ad titulos : *De aetate,*
& qualitate ordinandorum , de qua-
litate præficiendorum , de majorita-
te & obedientia , de Parochiis & alie-
nis Parochianis , de custodia Eucha-
ristiæ , de Baptismo ; de ſepulturis ,
de




de celebratione Missarum, de Religiosis domibus ut subjectæ sint Episcopo, de immunitate Ecclesiarum, utilies Ecclesiasticis doctrinas vix primis labris attingunt, plurima quoque concepta de se æstimationi derogatoria datâ operâ penitus averuncant, abscindunt, amoliuntur. Ut verè cum sui & ingeniorum laudem duntaxat sectentur, suáque ut plurimum abripiantur gloriâ, atque in profuturis Clero exiguum curam ponant, non tam illustrâsse nobis, quâm damnâsse ingenia videantur.

Nos autem, qui rerum magis, quam verborum amatores, utilia potius quâm plausibilia sectamur, neque id quærimus, ut in nobis inania sæculorum ornamenta, sed ut salubria rerum emolumenta commendentur, in Dissertatiuncula nostra non lenocinum volumus, sed remedium, quod scili-



scilicet non tam otiosorum auribus
placeat, quam ægris mentibus Ec-
clesiasticum Statum aversantibus pro-
fit, magnum ex utraque re cælestibus
donis fructum reportaturi, si enim
(quod confidimus) quorundam non
bonam de Hierarchico Ordine sana-
verit, opinionem fructus non parvus
erit, quod multis profuimus.

Si autem id non provenerit, & hoc
saltem ipsum in fructuosum non erit,
quod prodesse tentaverimus, mens
enim boni studii, & pii voti, etiam si
effectum non invenerit cæpti operis,
habet tamen præmium volun-
tatis. Hinc ergo exor-
diamur.



Præ-



Præcipui Canonistæ Ecclesiastici præ-
senti titulo excellentiam Ordinis Hierarchi-
ci seu Status Ecclesiastici non minus nitidissimè,
& emmaculatè, quām sapientissimè pertractare in more positum
habent, quorum præclarissimo exemplo insistentes su-
ceptam dissertatiunculam sua in argumenta
dispescemus. Sit ergo

Articulus Primus.

§. I.

Principia Resolutionis.

N. I. PRINCIPIUM I. Status moralis, ut tribui-
tur personæ rationali, nihil aliud est, quām con-
ditio, modūsque vivendi personarum immobi-
lis & immutabilis. Ità ex Ordine Prædicatorum
doctissimus Aquinas 2.2. q. 103. a. 1. Lector sub-
tilis Scotus in i. Dist. III q. 3. a. 2. Suarez Tom.
3. de Rel. L. 1. Cap. 1. Bassæus V. religio n. 1.

Dicitur *immobilis* & *immutabilis*, non quidem
per undequaque immobilem & immutabilem per-
manentiam, sed per immutabilitatem & immo-
bilitatem conditioni, per statum significatæ, pro-
portionatam provenientem à causa ex se morali-

Diss. Can. Crit.

A

ter



ter fixa & permanente, ob quam difficulter talis status mutetur, esto saepe mutetur nempe saltem requiritur animus per aliquod tempus in tali genere vitae permanendi. Sic homo dicitur juxta S. Thomam de Aquino in statu libertatis, esto sua voluntate & sponte possit fieri servus, justus dicitur esse in statu gratiae, esto eam possit amittere, & reapse per gravem culpam amittat. Initatus ordinibus minoribus est in statu clericali, esto per matrimonium cum vidua eum possit mutare; nec exigitur stricte loquendo ad statum in genere *immobilitas* seu *immutabilitas omnimoda* habens annexam obligationem provenientem ex aliqua lege, contractu, vel votu &c. permanendi in illo statu, sed sufficit causa, ratione cuius sit difficulter mutabilis; sic statutus libertatis oritur ex naturali lege, quod homo creatus sit liber, & ratione hujus difficulter libertatem mutat, esto eam mutare eaque cum causa privari possit. Status servitutis habet titulum justi dominii in servum, puta: justum bellum, emptionem, contractum, ortum vel immediate vel mediate ex matre jam servus. Status Ecclesiasticus includit acceptationem cum animo permanendi, status Religiosus vota. Status matrimonialis contractum. Si tamen conditionis nec causa sit permanens, tali casu talis persona nequit dici esse in aliquo statu, hinc dives, pauper, in dignitate constitutus, non sunt constituti in statu, haec enim extrinseca sunt, & facile mutantur, ad minus sunt facile mutabilia.

§. II.

§. II.

N. II. PRINCIPIUM II. **S**Tatus creaturæ rationalis, secundum eximios Macedo, & Zanterium duplex est, alter naturalis alter supernaturalis. Ratio primi est: quia potest homo creari, non tamen elevari ad beatitudinem supernaturalem, qui status aliter compellatur *status naturæ puræ*. Ratio secundi est: quia defacto homo est elevatus ad beatitudinem supernaturalem tendens ad DEUM non duntaxat ut Authorem naturæ, sed & gratiæ. Iste status supernaturalis, sive hominis non suis viribus & in solis naturalibus relieti, sed ad beatitudinem supernaturalem elevati intrinsecumque respectum ad DEUM beatificè possidendum dicentis porrò quadruplex reputatur: *status innocentiae*, *status naturæ non puræ*, *status legis scriptæ seu evangelicæ*, qui postremus est conditio, & modus in re vel in voto baptizatorum hominum per fidem & opera, sive præcepta à Christo, sive consulta & supererogatoria, ad beatitudinem supernaturalem tendentium; hic rursus gnaviter distinguendus est in statum *vitæ communis christianorum*, & statum *perfectionis*, cuius distinctionis ratio in promptu est, quia vel Christianus degit in statu seu formula atque certa professione vivendi, in qua tendit ad beatitudinem supernaturalem per sola opera præcepta, & necessariò ad eandem capessendam ordinata; & hujusmodi status baptizatur status *vitæ communis christianorum fidelium orthodoxæ Ecclesiæ*: vel vivit in certa conditione & professione, in qua tendit ad beatitudinem in-

A 2

super



super per opera à Christo consulta , & supererogatoria ad intensiorem beatitudinis assecutionem ordinata, veluti Religiosus & maximè Ecclesiasticus eò intrinsecè respiciens ? & iste status exornatur titulo vitæ *perfectæ* seu *perfectionis*.

§. III.

N. III. PRINCIPIUM III. Status perfectionis rectè describitur , quod sit quædam vitæ professio , seu modus vivendi firmus & stabilis, constitutus ad propriam perfectionem vitæ christianæ obtinendam , vel exercendam. Ità censet communissima doctorum consonante Suarez L. c. cap. 5. n. 4. Distinguitur autem status perfectionis ab ipsa perfectione , quæ in unanimi SS. Patrum sententia, attestante eximio Domino Bivele Parisino Theologo , in Tract. de exc. vit. Eccles. est *unio & assimilatio cum DEO*. Nam potest aliquis esse in statu perfectionis , nec tamen esse perfectus quemadmodum non pauci Clerici & Religiosi sunt in statu perfectionis , non tamen sunt perfecti , quos sola uestis à laicis discriminat , nec Monachum induunt nec sacerdotalē exuunt utroque pede claudicantes ; contrà sacerdtales admodum multi perfecti sunt , tamen non existunt in statu perfectionis , sic numerosi conjugati christiana perfectione magis pollent , ipsis Clericis & Monachis , quibus perfectiores intelliguntur , qui existant in statu perfectionis.

§. IV.



f.

§. IV.

N. IV. PRINCIPIUM IV. PErfectio, ad quam ordinatur status perfectionis, non est charitas habitualis vel actualis, præcisè quoad suam essentiam secundùm se & abstractè consideratam, præter commune gravissimorum Doctorum judicium ex ratione: quia hæc omni homini est necessaria & ad eam quilibet status hominis christiani ordinatur. Verum ista perfectio primariò consistit in actu charitatis tam DEI, quam proximi. Secundariò verò in actibus aliarum virtutum, quas ad finem suum dirigit; siquidem per charitatem DEO intimius unimur. Profectò præattacta perfectio nequit consistere adæquatè & totaliter in charitate prout à reliquis virtutibus distincta, sed in charitate prout omnia ad finem ultimum, nempe DEUM, super omnia dilectum refert, cum charitas sinè reliquis virtutibus imperfecta sit. Deinde perfectio charitatis per statum perfectionis intenta non est charitas actualis, sinè interruptione immutabilis & perennis, nullam venialem culpam, neque minimum defectum, aut difficultatem in execuenda DEI voluntate secum admittens, talis enim perfectio non est viatorum, sed comprehensorum in patria, imò secluso privilegio viatori impossibilis.

§. V.

N. V. PRINCIPIUM V. COnsentimus laudabili Suarezio cum communi aliorum, perfectionem

A 3

cha-



charitatis consistere in habitu charitatis, non quidem absolutè sumpto, sed ità disposito, ut promptè & sìpè impedimento ex parte subjecti actus suos elicere, aliorum verò impedire possit, vel in quibusdam frequentibus actibus charitatis, per quos ad illam dispositionem stabilem & permanentem perveniat, ex qua DEUM amet, & alios actus virtutum eliciat, quantum humana fragilitas patitur, atque etiam minima peccata venia. lia deliberata evitet.

§. VI.

N. VI. PRINCIPIUM VI. **S**Tatus perfectionis, teste illo egregio è Soc. JESU Theologo Francisco Suarez L. c. cap. 12. essentialiter & necessariò constituitur per actum inducentem obligationem in assumente, qui est vel acceptatio, vel votum, donatio, traditio, vel aliis contractus. Sic in Ecclesiastico statu (qui est status perfectionis) illa permanentia oritur ex ipsa acceptatione propria & voto sacris ordinibus annexo. Dicimus no- tanter ex *acceptatione propria*, quod enim in homine Religioso facit votum religionis, hoc spectata duntaxat essentia in statu Ecclesiastico re latè ad perfectionem facit ipsa assumptio & acceptatio libera ac voluntaria, nemo autem per alium potest vovere, ità in statu perfectionis ex ercendæ, ajo Ecclesiastico, nemo illum per alium vel invitus potest suscipere, unde non sufficiunt ad inducendam obligationem sacri ordines collati, nec episcopaloris ordo respectu inviti. Ad

hæc

hæc ille actus inductivus obligationis per se lo-
 quendo debet respicere permanentiam perpetu-
 am & immutabilem in tali statu apto ad perfectio-
 nem acquirendam vel exercendam , ita : ut eum
 voluntariè suscipiens amplius licet non possit de-
 serere, quemadmodum harmonicô calculô Theo-
 logi profitentur L. c. N. 2. à Suarez cumulate
 congesti. Alias suscipiens esset continuò in flu-
 etuatione , motu , probatione & deliberatione ,
 si quisque pro libitu semel assumpto statu posset
 cedere. Præterea ejusmodi actus debet pro ob-
 jecto habere ipsum exercitium seu observantiam
 illarum rerum vel actionum supererogatoriarum ,
 respectu præceptorum omnibus christianis com-
 munium, quæ ab illo statu exercentur , vel in illo
 præscribuntur , quamobrem collocans se in tali
 statu etiam ad quasdam actiones , vel omis-
 siones se obligare debet; sic in exemplo Episcopus
 se obligat ad refutandas hæreses , ad reformatio-
 nem morum in Clero , ad disciplinæ Ecclesiasticæ
 collapsæ ad primævam puritatem sacrorum ca-
 nonum reducendæ restorationem , ad prædican-
 dum , ad collationem ordinum &c. ad vigilan-
 tiæ & actus pastorales , functionesve omnes ,
 quas status suus præscribit , & excercendas ju-
 bet. Sic Parochus se obligat ad publicè docen-
 dum christianæ vitæ principia, ad pascendum po-
 pulum verbo & exemplo , illius *soli* est licet
 administrare Sacra menta , ut tradit jus novissi-
 mum Tridentini Sess. 24. cap. 15. de reform. i-
 bi : *à quo solo licet.* Illius est intra limites suæ
 Parochiæ & cannas vitia extirpare , virtutes mi-
 nus frequentatas implantare , confessiones exci-



pere & sacramentum absolutionis impendere ,
eucharistiam dispensare , matrimonio assistere ,
extremè ungere , ad extremam luctam animare ,
moribundos ad beatam æternitatem assistentiâ suâ
comitari , spiritum roborando , & adversùs ten-
tationes præmuniendo , illius est benedicere res ,
& quæ alia sunt occupationes Hierarchicæ , eas in
regimine animarum exercendas habet .

§. VII.

N. VII. PRINCIPIUM VII. Status perfectionis convenientissimè dividitur in statum *acquirendæ* & *exercendæ* perfectionis , sive in statum *tenden- tium ad perfectionem* , & in statum *perfectorum ac proficientium* juxta nobilissimum decus Dominicani Ordinis ipsum Aquinatæ . 2. 2. q. 185. a. §. & 7. & q. 181. a. 4. ad 1. & 186. a. 1. ad. 4. qui hoc desumpsit ex Dionysio Areopagita cap. 5. de div. nom. Me hercle ! status seu acquirendæ seu excercendæ perfectionis , qui non præscribit media , quibus perfectio acquiratur , sed er- ga alios exerceatur , subdividitur in statum *inci- pientium* , *proficientium* & *perfectorum* in com- muniore sententia SS. Patrum Divi Gregorii L. II. in Ezech. hom. 15. S. Augustini L. de nat. & gratia cap. 70. tum tract. 5. in Joan. & aliorum apud Suarez L. I. cap. 13. Ex quo clare appa- ret , à profitente & assumente statum excercen- dæ perfectionis ex se ipso & in executione non exigi perfectionem actualem , sed ita debere esse constitutum , quod velit omnia promptè facere ,
quæ



,

quæ in hujus status præcipiuntur , status namque perfectionis exercendæ (ut jam innuimus) nulla præscribit media , quibus profitens illum perfectionem acquirat , sed quibus eam erga alios exerceat , & hoc tenet *incipientibus*.

Aliud dicendum de *proficiente* vel *perfecto*. Primi generis sunt Clerici minorum & majorum ordinum. Secundi generis Diaconi & Presbyteri nondum procurandæ saluti proximi in cura animarum præstituti , ac ad captanda earum lucra aptati , ut erga DEUM & proximum maximam charitatem exercent , suam ipsorummet animam ponentes. Tertii generis sunt Capellani , Parochi & vel maximè Episcopi animarum lucris assiduò intenti. Non tamen perinde menti ingere volumus , Ecclesiasticorum charitatem erga DEUM esse tantam , qua diligatur DEUS , quantum diligibilis est , tantum perfectionis statui non attribuimus.

Patet quoque ex memoratis , statum perfectionis exercendæ non consistere in indivibili , sed admittere magis , & minùs. Sic status Episcoporum est in exercenda perfectione simpliciter perfectissimus , cui plane nullus aliis comparari potest , est laudabilissimus , honestissimus , & per se materia voti , consilii bonum melius religione. Et quis hæc controvertat ? quod sit in ordine perfectorum , & perficientium perfectissimus profitetur communissima theologorum & indubitata sententia cum Divo Thoma apud sæpe adductum Suarez L. c. cap. 15. n. 5. Ex hac enim ratione à sacrosanctis Conciliis (quæ fusè proximè citato lo-

A 5

co



co suos inter eximius Suarez congefferat)
vocantur *sanc*tissimi**, *Patres spirituales &c.* Ex-
cedit professio Episcopalis Religionem Regularium
unam quamque, eò quod munus episcopale sit mi-
nisterium obligans ad alios illuminandos, purgan-
dos, sanctificandos, quæ actiones sunt valde
perfectæ, ac excellentes ordinantur ad eximiam
sanctitatem ac bonitatem Episcopi, tum hoc ip-
so, quod quis Episcopatum assumat cum condi-
tionibus præscriptis eum assumit, nempe quod
absque consensu & licentia summi Pontificis, vel
eligentium nequeat eum deserere, quod nobis
probare utpote notissimum planè supervacaneum
videtur, satis sit, quod contrarium (quod sci-
amus) ex Catholicis sentiat nemo. Si tamen
quis contrarius esset, à temeritatis macula, hæ-
resisque suspicione non eliberaretur. Idem affir-
mandum est de statu Parochorum, & aliorum
Prælatorum inferiorum Episcopis secundùm se-
spectato, eum esse perfectiorem statu simplicium
Religiosorum laudabilissimum, honestissimam ma-
teriam voti & consilii, ut præclare differit Bruno
Neüßer in Polianthia, Can. Disp. 155. q. 4. n. 28.
resp. 6. illat. 2.

§. VIII.

N. VIII. PRINCIPIUM VIII. Jam damus pla-
niorem divisionis in acquirenda, & excercenda per-
fectione explicationē: *Status incipientium* est cha-
ritas actualis, quæ à concupiscentiis, & aliis passio-
nibus nondum mortificatis non solum impeditur
ut facile ac delectabiliter virtutem operetur, sed
in-

Insuper in periculo versatur , nè ab aliquo peccato superetur & expellatur.

Status *proficientium* est charitas actualis in eo , cuius passiones ità sedatae sunt , ut pugna contra concupiscentiam non ità sollicitet animum diligentem DEUM ad lapsus graves & incumbens sit virtuosis operibus , & ejusdem charitatis augmento. Status denique *perfectorum* est charitas actualis illius , qui ità suas passiones edomuit , & tam asuetus est operationibus virtuosis , ut promptè & delectabiliter DEUM diligat , & faciliter peccata venialia deliberata vitet. Haecenus pergit in genere doctrinam stabilendam utrique statui & Clericali & Religioso applicantes.

§. IX.

N. IX. PRINCIPIUM IX. Statum Religiosum , pensatâ ejus essentiâ metaphysica , pronuntiamus , esse per observantiam consiliorum evangelicorum à cathedra Petri solemnizatorum acquirendæ perfectionis , ità nobiscum sentientibus doctoribus orthodoxis omnibus contra heterodoxos , & quamvis cum rev. & clarissimo Espenio inficiemur , illum esse essentialiter ipsam hominis christiani perfectionem , tamen concedimus cum eodem , statum Religiosum esse *instrumentum accommodissimum* , quo ad perfectionem deveniatur , quo modo intelligendum est cap. 5. de statu Monach. permittimus etiam liberaliter , & ultrò Petro Marchantio , solerti è Franciscanis Theologo Tom. 3. tit. unico , q. 3. notatum sentimentum nimis :



rum: Religiosum statum non solum perfectiorem esse statu communi christianorum laicorum omnium , sed etiam illorum christianorum , qui in sæculo observantiam consiliorum evangelicorum vovent , nec disputamus, posse a Pontifice Romano vel Episcopo vel Parocho Regulares ad exercendam perfectionem admoveri & adhiberi, sed non nisi Presbyteros in qualitate subsidiariorum, quo facto accedunt Ecclesiasticis reducunturque ad genus Ecclesiasticum, fiunt per accidens & dispensativè Clerici, de quo fusius tractare non est præsentis instituti. Videatur Erhard in Reg. S. Aug. commentans , ubi doctissimè probat, Regulares tantùm dispensativè & per accidens esse Clericos, non ex natura religionis. Id tamen prætermittere non possumus, Religiosos ex se & natura religionis non esse in statu exercendæ perfectionis , ad quod invictè probandum conglomerabimus parùm cumulatè argumenta in decisione.

§. X.

N. X. PRINCIPIUM X. Proprius ad controversiam dissertationis accedendo, Ecclesiasticos non existere in statu acquirendæ sed exercendæ perfectionis tuemur. Quod ostendimus liquido planè argumento ex principio dato septimo & ipso conceptu essentiali , sic enim argutamur: ille est in statu exercendæ perfectionis , qui ità est constitutus , quod promptè velit ea agere , vel omittere , quæ sibi agenda omittendave à statu suo præcipiuntur , & hæc signatè erga alios exercet ; at-

••••• •••••

atqui Ecclesiasticorum est promptè agere vel omittere ea, quæ à statu suo iis præcipiuntur & hæc exercent erga alios, nempe proximos illorum accurando salutem, eösque sanctificando ; ergo Ecclesiastici sunt in statu exercendæ perfectionis. Majorem sustinet eruditus Suarez & vel hoc ex capite Eximius L. c. cap. 14. n. 3. & 11. Minorē stabilit principium nostrum sextum & ipse cursus vitæ Ecclesiasticæ obtutibus hominis inscriptus. Quid enim sunt universim occupatio-nes Ecclesiasticorum, nisi perpetuum exercitium erga sanctificationem alterius, quod vel oculis melius usurpatur quam dicitur. Consequentia rectè concludit. Addendum, quod qui pluribus vel perfectioribus actibus sui generis, aut aptioribus mediis charitatem actualem seu perfectionem in proximum diffundendo eam in cura animarum seu cura salutis exercet, etiam præ altero Ecclesiastico non tam zelofo in hac linea perfectior judicandus sit. Ex quo legitimè subinfero, perfectionem nullatenus esse defumendam ex asperitate vitæ, paupertate corporis, humili cubatione, cilicii deportatione, mortificationibus externis, studiisque individuum suum quoquo modo afflictandi &c. sed ex melioribus & aptioribus mediis magis conducentibus ad majorem & nobiliorem perfectionem tam sui, quam aliorum perfectibilium, qualem perfectionem ex actibus ad salutem animæ directè influentibus in instituto Ecclesiastico omnibus modis propugnandam suscepimus, & paulò post demonstratam exhibebimus.

§. XI.



§. XI.

N. XI. PRINCIPIUM XI. **N**eminem Ecclesiarum ex vocatis semel ordinem hierarchicum assumentem, sive existat in sacris sive non, licet eundem deserere posse affirmamus arg. cap. *unicum pridem de renunt.* cap. *admonet.* eodem can. *si quis verò.* Episcopus 7. q. 1. ad stipulatur toties productus Suarez L. c. cap. 17. eos sine licentia Episcopi non posse Ecclesias, quibus adscripti sunt, deserere, seu sint Archi · Diaconi , Canonici , Decani , seu alii inferiores Episcopo , seu in eodem genere insimi , de his simile judicium ferdum est arg. cap. 2. de trans. Ep. L. illud ff. ad 2. Aquilam, & liquidum est ex principio nostro sexto allato.

§. XII.

N. XII. PRINCIPIUM XII. **H**Agenus essentiam explanavimus & divisiones status perfectio-
nis , tandem decidendum est secluso affectu cor-
rupto mentem Philargiā p̄æoccupante, quis sta-
tus sit omnium perfectissimus ? p̄æciso igitur hīc
statu sacerdotali laicali , qui non est continuò sper-
nendus, eò quod sit basis cæterorum (de quo
commendabilia lexitaveris in cura salutis Gabrie-
lis Hevenesii pag. 232. per totum) & Regulari.
Neutri diutiū immoremur , sinamus tricari & ad
ravim usque acriter Religiosos inter se de majo-
ritate perfectionis certare , jaçet se unus aliquis
Hevenesius sua religione tanquam omnium per-
fectissimus

fectissima cum Doctoribus utùt numerosis Clericorum Regularium Soc. JESU mordicus id asserentium & venditantium ex ratione *subsidii curæ animarum*. Extollat Religionem suam titulô perfectissimæ Arauxo · Dominicanus præcellentissimus in Decis. Eccles. Tract. 3. q. 26. quia aptatur curæ animarum. Evehat institutum suum ut summæ perfectionis Bruno Neusser Franciscanus diligenter studii in Polyant. Can. de stat. Rel. q. 2. illat.

2. Dilecti Paulani prohent, ordinem suum esse perfectiorem diploinate Pontificio Julii II. quod incipit *sacer ordo*, & Bulla Leonis X. *quamvis alias*. Pace nostra discrepent inter se omnes, dividantur & speculativè collidant. Hos nos miniatulis attendere intermittimus & ad punctum dissertationis controversum resolvendum enodandumque, an nempe Religiosus, vel Ecclesiasticus sit omnium absolute perfectissimus ? tandem descendimus & decidimus.

Articulus secundus.

Resolutio.

§. XIII.

Dicendum : Status Ecclesiasticus ex se, & genere suo est absolute perfectior Religioso atque adeo omnium perfectissimus.

Probatur Conclusio I. A Uuthoritate sacræ scripturæ. Doctor gentium 1. Cor. 12. disertè inquit :

Posuit,



*Posuit quosdam DEUS in Ecclesia primūm Apo-
stolos - - - dein Pastores & Doctores. Ex quo
textu sic licet arguere: quos DEUS in Ecclesia po-
suit primūm, illos collocavit in statu absolutē
perfectiore omnibus aliis; atqui Apostolos DEUS
(ut de fide ex citato textu colligitur) posuit in
Ecclesia primūm: ergo DEUS Apostolos posuit in
statu absolutē perfectiore omnibus aliis. Major
apparet innegabilis, attamen probatur. Quos
DEUS in Ecclesia posuit primūm, illos ex omni-
bus elegit ad conversionem mundi & salutem ani-
marum, amicósque suos compellavit. Joan. 15.
Sed quos ex omnibus elegit, ad conversionem
mundi, & salutem animarum, amicósque suos
compellavit, collocavit in statu absolutē perfe-
tiore omnibus aliis, quia ut amici per gratiam,
& opera Apostolica ei erant intimius conjuncti,
uniti & assimilati, in qua unione, conjunctione,
& assimilatione fundatur, & radicatur major
perfectio, ergo quos DEUS in Ecclesia posuit pri-
mūm, illos collocavit in statu absolutē perfectio-
re omnibus aliis. Hic syllogismus concludit,
convincitque, quapropter subsumo argu-
mentum: Atqui status Ecclesiasticus est status
Apostolorum: ergo si DEUS Apostolos collocavit
in statu absolutē perfectiore omnibus aliis, etiam
Ecclesiasticos collocavit in statu absolutē perfectio-
re omnibus aliis. Probatur subsumptum dupli-
ter I. Status Ecclesiasticus nuncupatur passim in-
stitutum vitae Apostolicæ ex vero omnium recte
sentientium judicio, sed Institutum vitae Aposto-
licæ est status Apostolicus: ergo status Ecclesia-
sticus est status Apostolicus. Probatur subsump-
ta*

ta minor II. Laudatus Doctor Gentium ad Ephes.
 2. ità fatur : *Fratres : estis cives sanctorum & domestici DEI , superaedificati super fundamen-*
tum Apostolorum , & Prophetarum ipso summo
angulari lapide Christo IESU : ergo Status Eccle-
siaisticus est Status Apostolorum. P. c. Status æ-
dificatus super fundamentum Apostolorum & cum
illo maximè symbolizans est Status Apostolorum;
atqui Status Ecclesiasticus (ut clarè eruitur ex
citato textu) est ædificatus super fundamentum
Apostolorum & cum illo symbolizans maximè :
ergo Status Ecclesiasticus est Status Apostolorum.
 Tum. i. Pet. 2. cap. attribuit sacra pagina se-
 quentia Statui Ecclesiastico elogia : *Vos autem ge-*
nus electum, regale sacerdotium, gens sancta. Chri-
stus ipse appellat Ecclesiasticos lucem mundi, salem
terræ &c. Sed hæc non convenirent Statui Eccle-
siaستico , nisi esset absolutè perfectior Religioso ,
vel etiam Statui Regulari appropriari possent ,
quod dici non potest : ergo Status Ecclesiasticus
est absolutè perfectior Religioso. Confirmatur
 I. Tribus Levi , quæ erat figura Status Ecclesia-
 stici,fuit absolutè perfectior tribu Nephtali & alia-
 rum omnium perfectissima : ergo etiam Status
 Ecclesiasticus per tribum Levi figuratus , *omnia*
enim in figura contingebant I. Cor. 4. est abso-
 lutè perfectior cætu & Statu Religiosorum atque
 adeo omnium perfectissimus. Confirmatur II. ex illo
 Spiritus sancti effato Actuum Apostolicorum cap.
 13. relato : *segregate mihi Saulum , & Barna-*
bam in opus ad quod assumpsi eos , unde tale for-
mamus argumentum : Status assumptorum à Spi-
ritu sancto ad opus Ministerii est absolutè perfe-
Diss. Can. Crit. B ctior



Etior Statu voluntariè oblatorum ; atqui Status Ecclesiasticus est Status assumptorum à Spiritu sancto ad opus Ministerii (intellige functionum Hierarchicarum) Status Religiosus est voluntariè oblatorum : Religiosi enim Professio in uno Monasterio est voluntaria sui ipsius oblatio non assumptio , ut rectè advertit Bonaventura Goffa in addit. ad serm. præd. Matth. Beuvelet. Quia in libertate ejus positum est se dare & offerre Religioni , verùm ad DEUM solum & ad Ecclesiam ejus nomine pertinet acceptare & eligere personas Ecclesiasticas Ps. 64. v. 5. ideo Levi interpretatur *assumptus* : *Beatus quem assumpsisti & in act. cap. 13. Segregate mibi , inquit Spiritus sanctus , Saulum & Barnabam in opus , ad quod assumpsi eos :* ergo Status Ecclesiasticus est absolute perfectior Religioso. Ad stabilendam Majorem lubet eximium Dominum Matthæum Bivele è florentissimo Archi - Episcopali Collegio Parisiensi Theologum Doctorem adducere ita differentem in illud Psalmographi Ps. 88. v. 19. *Domini est assumptio nostra* “ Ità appellatur promotio ad ordinis & introitus ad Statum Ecclesiasticum ad differentiam professionis , quam facit Religiosus in uno Monasterio , quæ potius est oblatio voluntaria sui ipsius , quam assumptio : differunt hi status primò : quod Status Religiosus sit status pœnitentiæ , & Ecclesiasticus status perfectionis , quæ perfectio innotescit ex sanctitate , & stabilitate illius status , ex consecratione Ministrorum , qui destinantur & eliguntur ad hunc statum . Qua ex causa in primitiva Ecclesia pœnitentia publica præpediebat , nè quis

„quis admittetur ad statum Clericalem , non ob-
 „stante , quod pòst pœnitentiam egisset , quod
 „nunquam in usu fuit in Monasteriis , quæ sem-
 „per asyla suere magnorum peccatorum , imò
 „ipsimet Ecclesiastici malè viventes causâ pœni-
 „tentiae eò deducebantur & relegabantur, ut vi-
 „dere est in Conciliis Agathensi cap. 50. Epau-
 „nensi cap. 22. Toletano IV. cap. 17. & 44. To-
 „letano VI. Can. 4. Antisiodorensi VI. cap. 16.
 „& aliis passim. Il. Quòd primus , & principalis
 „finis Religiosi sit propriè solum cogitare, & pro-
 „curare salutem propriam , ac non nisi ex delega-
 „tione propria aliorum saluti intendere ex moti-
 „vo charitatis , misericordiæ & pietatis , dum vo-
 „cantur ab Ecclesiasticis in auxilium ad modum,
 „quo Apostoli annuerunt sociis , qui erant in a-
 „lia navi , ut venirent & adjuvarent eos. Luc.
 „5. v. 7. Ecclesiastici verò non tam ratione sui
 „quam aliorum , sed potius & ratione sui & alio-
 „rum , ut dum in se sunt perfecti , alios perficiant,
 „ad illum statum destinati sunt , ità , ut iis cum
 „Domino & Servatore nostro dicendum sit : *pro*
 „*iis sanctifico me ipsum* Joan. 17. v. 19. & cum
 „Paulo Apostolo : *quæro non , quod mibi utile*
 „*est , sed quod multis.* 1. Cor. 10. ex eo , quod
 „ad hoc ex justitia , & debito obligati sint quod
 „S. Chrysostomus non obscurè innuens L. 7. de
 „Sac. cap. 4. Monachoru(m) inquit certamen
 „ingens ac labor multus est , verum si quis con-
 „ferre vellet instituti illius sudores cum rectè ad-
 „ministrato sacerdotio , certè tantum esse inter
 „illa duo discrimen reperiet , quantum est inter
 „privatum & Regem ideo S. Dionysius cap. 6.

B 2

Hie-



„Hierarch. Eccles. ait : *Monasticus ordo debet se-
qui sacerdotales ordines, & ad eorum imitatio-
nem ad divina ascendere.* Videsis , & animad-
verte , quis horum duorum statuum inter se
consideratus sit melior , & excellentior , in quo-
rum uno DEUS destinat personam ad Statum Eccle-
siasticum illam eodem tempore obligans ad perfe-
ctionem per consecrationem, quam illi consert. In
altero contrà obligatio non oritur aliunde ,
quam ex voluntate illius qui se obligat.“ Ità
laudatus Bivele eximus in tractatu Gallico de
Excell. Stat. Eccles. cons. 7. pag. mihi 13. qui
evidem majoritatem perfectionis ex ipso fine Sta-
tus Ecclesiastici eruit, cum asserit : „Eum esse ad
accessum dandum hominibus ad Thronum divi-
næ & supremæ Majestatis , ut cultus, & honor
ei reddatur debitus , & per suas sanctas fun-
ctiones , ac omnino divinas illud totum in po-
pulo procuretur , provideatque , quod illi
necessarium est ad salutem.“ Idem L. c. cons.
8. p. 14. ergo status assumptorum à Spiritu sancto
ad opus Ministerii est absolute perfectior Status
voluntariè oblatorum.

N. XIV. Probatur II. Posita decisio autho-
ritate sacrorum Canonum. I. Sanctus Sylvester
Pontifex in sua synodo Romana cap. 7. cuius frag-
mentum recitat Canon à Subdiacono 5. dist.
13. & refert Burchardus , & Ivo. Sic statuit :
„Pontifici Presbyter , Presbytero Diaconus,
„Diacono Subdiaconus , Subdiacono Acoly-
thus Acolytho Exorcista , Exorcistæ Le-
ctor , Lectori Ostiarius , Ostiario Abbas , Ab-
bati Monachus , in omni loco repræsentent ob-
se-

„sequium sive in *publico* sive in *gremio Ecclesiæ.*„
 Et Glossa ad hunc canonem scitè notat : *minores semper majoribus debere subesse.* Ex his currit argumentatio : Status, cui cæteri omnes obsequium tenentur præstare tam in *publico* quām in *gremio Ecclesiæ*, major est cæteris omnibus , & absolutè perfectior ; atqui Statui Ecclesiastico cæteri omnes obsequium tenentur præstare tam in *publice* , quām in *gremio Ecclesiæ*, decernente mox fato canone, qui præfert Ostiarium Abbatii : ergo Status Ecclesiasticus est major cæteris , & absolutè perfectior. Major liquet inde , quod obsequium ratione majoris perfectionis deferatur.

Probatur II. Canon ecce ego 6. dist. 65. (in quo Epistola purpurati Dalmatæ ad Episcopum Narbonensem de septem gradibus Ecclesiæ è Tomo 4. mutuata legitur) decernit, Presbyterali Statui , & *consecrationi Ecclesiastici plenitudinem ac perfectionem competere* : ergo Status Ecclesiasticus est absolutè perfectior Religioso. Probo consequentiam. Status, cuius consecrationi plenitudo perfectionis competit , est absolutè perfectior Status Religioso ; atqui consecrationi Status Ecclesiastici, declarante citato jure, competit plenitudo perfectionis , Religioso non competit : ergo Status Ecclesiasticus est absolutè perfectior Religioso. P. M. Statui Religioso non competit consecratio : ergo nec plenitudo perfectionis. P. A. Status Religiosus ex natura sua & essentia non exigit ullum ordinem , sinè omni subsistere potest. Ejus natura est sua & aliorum peccata deflere. „*Monachus* (inquit Gloslographus in can. *Hinc est*



„est 39. q. 1. qui est sancti Gregorii Pontificis)
 „sua & aliorum peccata deflendi habet officium ex
 „eo quod Clericus docendi & pascendi populum ;
 „Monachos verò usque ad tempus Eusebii , Zosimi
 „& Siricii simpliciter & non Clericos fuisse, Ecclesia-
 „stica testatur historia ; etiam Hieronymus refert
 „Monachos Scythiae convenisse in unum, ut sacer-
 „dotem sibi invenirent , qui eis Missarum solem-
 „nia celebraret , Joannes Andreæ ait , esse in E-
 „pistola de oper. & humil. Monach. in Tomo au-
 „tem II. operum ipsius beati Hieronymi in ep. 60.
 „quæ est Epiphanius ad Joannem Hierosolymitanum
 „ab eo latinè reddita legitur, Epiphanium ordinasse
 „Presbyterum Monachis poscentibus , qui eis Sa-
 „cramenta conficeret , erat autem Monasterium
 „in Dioecesi Joannis. Haec tenus Glossa. Unde e-
 „lucescit, Monachis Religiosis nullam potestatem
 „in corpus Christi verum infuisse & tamen erant
 „veri Religiosi , etsi non consecrati & non ordi-
 „nati : ergo Statui Religioso non competit conse-
 „cratio.

Probatur III. Oraculo Innocentii III. corpo-
 ri juris inserto cap. nisi 10. de revunt. ibi : Pon-
 tifex postquam Archi - Episcopo Calaritano me-
 ditanti transitum ad ordinem Religiosum fortissi-
 ma argumenta suggestisset ad non mutandam prio-
 ris vitæ , institutique professionem, hæc inter alia
 motiva retrahentia ab amplexu alicujus Religio-
 si instituti cumulatissimè congesta ponit. „Si
 cedendo proficere appetis tibi soli , profectui
 tuo tantum subtrabis quantum quod impenderas
 aliis non impendis , quia tunc majora animæ tuæ
 lucra

lucra conquereres , cum præter tuam salutem
plurimorum salutem procurares , *potioris enim est*
meriti secum DEO quam plurimos lucri facere ,
 quām salutem propriam quærere *sīnē illis* , quo-
 rum salus ad ejus curam noscitur pertinere . “
cap. nisi 10. de renunt. §. Quia igitur. Jam sic :
 Status, cuius profectui nihil detrahitur in asseren-
 da sua , & alterius cœlo anima, est potioris me-
 riti atque adeo perfectior absolutè eo , qui tantūm
 ex se , & genere suo propriam quærit salutem ,
 atqui profectui Statūs Ecclesiastici nihil detrahi-
 tur in asserenda sua & alterius imò plurimorum
 cœlo anima, profectui status Religiosi tantum de-
 trahitur, quantum aliis non impenditur, cum ex se
 & genere suo tantūm suam propriam quærat sa-
 lutein : ergo Status Ecclesiasticus est potioris me-
 riti & absoluté perfectior eo , qui ex se & genere
 suo tantum propriam quærit salutem. Subsu-
 mo : sed iste est Religiosus : ergo est absolute
 perfectior Religioso. Major & minor Syllogismi
 est fundata in oppenso jure. Consequentia le-
 gitima.

Probatur IV. cap. *licet 18. de Reg. & trans.*
 ad Rel. summus ille Canonista Innocentius III.
 Pontifex cùm rescribendo Priori , & Conventui
 Dimeliensi declarāisset, Præsulem non posse cede-
 re Præsulatu intuitu cujuscunque ingrediendæ Re-
 ligionis sīnē licentia Romani Pontificis , dat inibi
 solidissimam rationem : „Quoniam sicut *majus*
 „bonum minori bono præponitur , ità *communis*
 „*utilitas* speciali utilitati præfertur L. actione §.
 „Labeo in versu eo tempore ff. pro socio Gloss.
 B 4 „in



„in L. i. & ibi Bartolus ff. soluto Matrimonio &
 „in hoc casu (si nempe Episcopus vel inferior eo
 „Ecclesiasticus ad Monasterium intenderet convo-
 „lare) recte præponitur doctrina Ecclesiastici si-
 „lentio Religiosi , sollicitudo Ecclesiastici con-
 „templationi Religiosi , labor Ecclesiastici quieti
 „Religiosi. Ad quod utique designandum unige-
 „nitus DEI Filius JESUS Christus non de Rachele
 „secundum carnem natus est , sed de Lia , nec
 „legitur eum in domum suam Maria recepisse
 „sed Martha , unde quando potest Episcopus præ-
 „esse , pariter & prodeesse , non debet licentiam
 „cedendi postulare , aut etiam obtainere. “ cap.
 licet citato §. illa semper. Ex hac decretali ite-
 rum validissimum fabricatur argumentum in rem
 nostram : Status boni *majoris publicus* , ad Mini-
 steria publica destinatus *communem utilitatem a-*
nimabus afferens, in quo *doctrina salvifica, sollici-*
tudo conversionis gentium & peccatorum , la-
bores Apostolici, implacabile planè *commo-*
ditatum odium elucet , est absolutè perfectior
 statu boni *minoris* , secessione privata utilita-
 tem duntaxat specialem privatorum afferente, in
 quo solum *silentium, contemplatio, commoditas ,*
suavitas vitae & quies aliquanta dignoscitur; atqui
 Status Ecclesiasticus est Status boni *majoris , publi-*
cus, ad Ministeria publica Ecclesiae & universitatem
curæ animarum destinatus, communem utilitatem
animabus afferens , in quo *doctrina salvifica, so-*
licitudo conversionis gentium & peccatorum , la-
bores Apostolici incessantes, implacabile planè com-
moditatū odium elucet, Status Religiosus est status
 boni *minoris, privatus , secessio privata utilitatem*
 dun-

duntaxat specialem privatorum afferens, in quo
tantum silentium, contemplatio, commoditas,
suavitas vitae, & quies aliquanta dignoscitur: er-
go Status Ecclesiasticus est absolutè perfectior
Religioso: confirmatur argumento prælaudati In-
nocentii Pontificis disuadentis Archi - Episcopo
Calaritano discessum à Regimine animarum. „Si
„quantocunque (ait Pontifex) virtutum flore re-
„fulgeas, & in te non habeas charitatem (ni-
„mirum erga alterum) nihil te comprobaris ha-
„bere. Joan. 15. Nulla siquidem major poterit
„esse charitas, quam ut animam suam ponat quis
„pro amicis suis, cum autem propter hanc te de-
„ceat animam tuam pro subditis tuis ponere nul-
„la occasione dummodo proficere illis possis, &
„si non omnibus tamen multis: ab eorum regimi-
„ne te convenit excusare, quoniam si laboris
„causam prætendis, exemplum te Apostoli sub-
„levabit, qui suadet tibi laborem hujusmodi non
„refugere, dum se asserit pro *communi* salute
„plus cæteris laborasse, quia licet non semper
„sequatur laborem effectus, nihilominus tamen
„ipse labor est meritorius apud DEum, quod le-
„gitur Sap. 10. reddet *DEus* mercedem *laborum*
„sanctorum suorum. Exin ita arguo: Status, in
quo maximè efflorescit charitas continuo activa
ponens animam pro salute alterius, est omnium
aliorum perfectissimus, atqui in statu Ecclesiasti-
co efflorescit charitas continuo activa ponens ani-
mag pro salute alterius, qua maior dari nequit:
ergo Status Ecclesiasticus est omnium aliorum
perfectissimus.



N. XV. Probatur decisio nostra III. Autho-
ritate SS. PP. Ambrosii, Chrysostomi, Hierony-
mi & Mellei Cœnobiarachæ Clarævallenii Divi
Bernardi. Percipiamus eos : Mediolanensium
Antistes & **Magna** Ordinis Hierarchici gloria
Doctor universalis Ecclesiæ Ambrosius L. de Dign.
Sac. cap. 2. hæc habet : *Sanctissimi fratres, Bea-*
tissimi Patres! ità ille ad Ecclesiasticos , unde sic :
Status sanctissimorum & beatissimorum est abso-
lutè perfectior Religioso ; sed suffragante Ambro-
sio Status Ecclesiasticus est status sanctissimorum
& beatissimorum : ergo est absolutè perfectior
Religioso. S. Chrysostomus Dial. 3. de Sac. di-
stinguit Ecclesiasticum statum à Religionibus , in
Ecclesia etiam meritissimis , dum ait perspicue :
„Si talem aliquem mihi adducas Monachum, qua-
„lis ut per exaggerationem dicam *Elias fuit*,
„non tamen comparandus est illi , qui traditus
„populis (nempe Ecclesiasticus) & multorum
„peccata ferre compulsus immobilis perseverat &
„fortis , si quis autem bene administrato sacerdo-
„tio (seu Ecclesiastico Statui propriis functioni-
„bus) illius propositi scilicet Monachalis sudores
„conferat , tantum eos distare reperiet , quantum
„inter privatum distat & Regem. Quasi dice-
ret : quanta differentia & præminentia est Regis
præ privato , demus : cive subdito &c. tanta
Ecclesiastici præ Religioso etiam altero Elia in ze-
lo. Ex quo porro in forma sic argumentor : dig-
nitas Regis & præminentia est ex se & genere suo
absolutè perfectior honore & æstimatione alicujus
privati , & quidem incomparabiliter ; sed Status
Ecclesiasticus comparatur à S. Patre Chrysosto-
mo

mo dignitati & præminentia Regis secundum
actus sibi proprios, Religiosus status secun-
dum actus sibi proprios honori & æstimationi pri-
vati hominis: ergo Status Ecclesiasticus ex se &
genere suo est absolutè perfectior Religioso è men-
te tanti Patris, cuius verba ad alienum sensum
detorquere summum nefas, apertaque foret te-
meritas.

Advertendum hic, quod signanter Monachum
non esse comparandum illi, *qui traditus est po-*
pulis, nimirum Ecclesiastico exprimat, quod su-
stineri non posse, si Religiosus status foret per-
fectior, manifestum est. Consonat aperte Hiero-
nymus Doctor Ecclesiæ Maximus in Ep. ad Rustic.
Monach. in verbis: *Sic te geras in Monasterio, ut*
Clericus esse merearis, sive sacris ordinibus initiari,
si enim jam Rusticus, quem hic alloquitur Hiero-
nymus, perfectior fuit, ineptè Hieronymus
dispensationem ad minus esse in linea perfectionis
exegisset, ut assimilari posset Rusticus Monachus
Ecclesiastico in deinceps ordine aliquo suscipien-
do; sed Hieronymus ineptè dispositionem virtuo-
sam non exegit: ergo Rusticus non fuit perfe-
ctus aut statu ex se perfectioris, sed per assimila-
tionem perficiendus. Clarissimè decisionem
nostram tuetur, & eidem manifestè favet itidem
Ecclesiæ suavissimus Doctor S. Bernardus Ordinis
Cisterciensis propagator, cùm ad Pastores in Sy-
nodo congregatos suam suadam solvitità differen-
do: „Quanta est dignitas ordinis vestri? hæc est
„prærogativa ordinis vestri, prætulit vos DEUS
„Regibus & Imperatoribus, prætulit ordinem ve-
„strum



„strum (Ecclesiasticum) advertas velim „ ordinem vestrum omnibus ordinibus Benedictino Cisterciensi , Præmonstratensi , Basilitico , Chamaclulensi , Mendicantibus , Dominicanis , Franciscanis , Capucinis , Augustinianis , Carmelitis &c. Clericis Regularibus , Barnabitis , Théatinis , Crucigeris , Jesuitis , Piaristis &c. „Omnibus ordinibus , imò ut altius loquar : Angelis & „Arch- Angelis.“ Haetenus Bernardus , ex cuius suaviloquio argumentum formo à nullo Adversariorum infringibile sequens : Status , quem DEUS prætulit omnibus ordinibus Religiosis , est absolutè perfectior ex se & genere suo Statu Religioso ; sed juxtà S. Bernardum Statum Ordinis Hierarchici seu Ecclesiastici , ut bene expendenti textum liquet ex terminis Bernardæis , DEUS prætulit omnibus Religiosis : ergo Status Ecclesiasticus ex se & genere suo est absolutè perfectior Religioso atque adeo omnium perfectissimus . M. P. Status , quem DEUS prætulit omnibus ordinibus , versatur nobilioribus actibus , & aptioribus mediis circà æternam beatitudinem sibi & proximo acquirendam , quorum actuum exercitiò occupatur constantissimè , ut exhibent data principia resolutionis ; sed talis status , qui versatur nobilioribus actibus & aptioribus mediis circa beatitudinem æternam sibi , & proximo acquirendam , quorum actuum exercitiò occupatur constantissimè , est absolutè perfectior Religioso , qui tantum sibi beatitudinem æternam acquirere studet : ergo Status Ordinis , quem DEUS prætulit omnibus ordinibus Religiosis , est ex se & genere suo absolutè perfectior Religioso .

Hic

N.XVI. Hic Authores sanctorum Patrum terminaveram , nisi vel sexcentis aliorum textibus omis-
sis unus Dionysius de Areopago in confirmationem
trahendus foret , ille enim præcipue indicat , Ec-
clesiasticos ratione sui status majoris esse perfe-
ctionis. Do verba ejus ex cap. 3. Hier. Eccles.
„Omnium divinorum divinissimum est cooperari
„DEO in salutem animarum. Luculentius ad Ti-
„motheum Conpresbyterum ait cap. 1. sacerdotii
„quidem nostri functionem sanctissime Fili Timo-
„thee augustioris esse ac divinæ & divinitus indul-
„tæ scientiæ , actionisque & perfectionis ; eo-
„dem cap. pag. mihi 74. inquit. Ecclesiasticum in
„DEI consortium transire. „ pag. 75. participa-
tionem in DEum evadere. Jam urgeo : Status di-
vinus à DEO tantum originatus, ordinatus , insti-
tutus est ex se , & genere suo absolutè perfectior
statu ab homine originato , ordinato , instituto
& proveniente ; atqui Status Ecclesiasticus est à
DEO tantum originatus, ordinatus institutus, nam
in canone quicunque 30. d. 50. Clericatus Ordo
divini gradus appellatur & Divinissimus à Dio-
nysio audit. Religiosus è contra est immediate
ab homine originatus , ordinatus , institutus &
proveniens : sic enim dicimus : Ordo S. Benedi-
cti , S. Basili , S. Alberici , S. Norberti , S. Do-
minici , S. Francisci Seraphici , S. Francisci de
Paula, S. Augustini , S. Cajetani , S. Pauli , S. Ig-
natii Lojolæ &c. omnes habent fundatorem ho-
minem purum , solus Ordo Ecclesiasticus tan-
tum DEUM hominem : ergo Status Ecclesiasticus
(qui ab ipso Ethymo orthodoxæ Ecclesiæ deno-
mina-



minationem trahit) est ex se & genere suo abso-
lutè perfectior Religioso.

N. XVII. Probatur conclusio authoritate exi-
miorum theologorum & clarissimorum canonista-
rum. Primò huic oppansæ sententiae subscribunt
inlytæ juxta ac integerimæ universitates orbis
eruditæ: sacra Facultas Theologica Parisiensis ac ex
ea Princeps Theologorum magister sententiarum
Reverendissimus D. Petrus Lombardus, Episcopus
Parisensis , quem sequuntur eximii Domini An-
dreas Duvallius, Regius in Sorbona Professor Pu-
blicus & Ordinarius, vir inter eruditissimorum co-
ronas jure nominandus , *in comment. ad summam
S. Thome.* Reverendissimus D. Ludovicus A-
bellus , Parisensis Professor Regius Publicus & Or-
dinarius, Episcopus Ruthenensis *in sua Theol.* R.
D. Joannes Major SS. Theologiæ Professor Regius
Publicus & Ordinarius : *In L. sent.* R. D. Bapti-
sta du Hamel, Professor Regius , Publicus & Or-
dinarius *in Theol. Spec. Et pract. anno 1590. edita.*
Claudius Viexmontius. Ludovicus Bail Theolo-
giæ cognitione nobilissimus. Edmundus Riche-
rius, Theologus numeris finib[us]que omnibus ab-
solutissimus. Joannes Bellet , fons , & ut verius
dicam, Oceanus Theosophicus , Matthæus Bive-
le, Ludovicus Habert , qui excellenti judicio
Theologicos Canones laboriosissimos accuratissimè
excussit, Moderator Episcopalis Seminarii Catalau-
nensis , Hector nostratis sententiæ, *in Theologia
Dogmatica* Honoratus Tournellius Theologiæ
Doctrinâ illustrissimus & ab æmulis veneratione
exceptus. Joannes Obstradt, Joannes Lavonius
portentum illud scientiæ Theosophicæ , Joannes
Ger-

* * *

Gerson, Cancellarius Parisiensis in opere de Consiliis Evangelicis , & statu perfectionis & alii infiniti Parisienses inter litteras veluti Patritii, senatorii, que Ordinis. Qui Joannem Gersonem nobis omnibus modis patrocinantem illud nedium Gallia sed & toto orbe celeberrimum scientificorum oraculum præivre, & sequebantur. Gersonis formalia adhuc accipe in opere aureo de offic. & pot. Par. ibi : *Sequitur statum Parochorum esse perfecciorem Statu Religiosorum.* Similia habet in Serm. contra Bullam Mendicantium Tom. 2. pag. 534. & pag. 536. tum Tomo. 3. p. 40. 50. 40. 441. 1333. 1334. Suffragatur nobis ab urbe & orbe estimatissima Sorbona ob eminentissimam sublimioris disciplinæ cognitionem omnium sine controversia antesignana & ex ea R. & Excellentissimus Philippus Gamacheus, Professor insignissimus in sua Summa. R. D. Michael Nancherus solidæ sinceræque Theologiæ ter maximus Heros. Reverendissimus D. Dominicus Ramonis, Episcopus Baurensis inter Regios Sorbonæ Professores Academicos celeberrimus. R. D. Nicolaus Isambercus in Theologia exquisitissimè versatus. R. D. Philippus Volpiliere. R. D. Joannes de Art. Joannes à Caleja. Leonardus Hervæus, Armochius inter Proceres Theologos excellentissimi & cum iis quotquot Theologiam in Collegio Sorbonico jam à tempore Roberti Sorboni Theologi Fundatoris ab annis mille, summa, orbis erudit approbatione Professores floruere. Accedit è Leodiensibus Reverendissimus D. Joannes Chapeaville Theologus profundissimus &c. Idem tradunt omnes Ecclesiasticæ & per florentissimam Gal-



Galliam ac Navarræ Regnum singulæ Universitatis Cadomensis facultas theologica, Lugdulensis, Papensis, Pictaviensis, Aquensis ab Alexandro V. Confirmatore, Rhemensis, Andegavensis, Ticinensis, Aurelianensis, Avenionensis, quæ sui primordii scribit annum 791. &c. usque ad hæc tempora. In Hispania propugnat Universitas Cæsar Augustana, Granatensis, in qua Theologiam publicè præelegit Reverendissimus D. Josephus de Barzia & Zambrana è Professore Academico Episcopus Gaditanus renuntiatus, præsentis systematis, ut scripta ejus palam docent, propugnator Hectoreus, Tarragonensis, Toletana Universitas, Valentina, cuius initium æra 1470. legitur Salmanticensis, & ex ea Reverendissimus Petrus de Ochagavia Professor Regius Publicus & Ordinarius. Reverendissimus D. Joannes Sanchez Theologorum Achilles. R. D. Petrus Navarra vir in Theologia summus, Reverendissimus D. Alphonsus Curiel, albis ut ajunt equis præcurrens cum universis usque hodie Academicis Professoribus Salmanticensibus. In litteratissimo Belgio hæc sententia est communissima, in celeberrima & de Ecclesia meritissima Universitate Lovaniensi, è qua haec tenus nemo ab anno 1426. contrarium sensit, sed vel eam tamquam certissimam supposuerunt, vel expressè stabilivere in lucubrationibus suis, quemadmodum Venerabilis & eximus Dominus Jacobus Marchantius, Decanus dein oppidi Couviniensis & in dupli Regulari Monasterio Lobbiensi Florefiensi expeditus Theologiae Professor. Omnimode tuiti sunt eam RR. & EE. DD. Lovanienses Professores Academici:

ci : Joannes Viggers , Guilielmus Mercerus , Re-
verendissimus D. Malderus , eruditorum omni-
um calculis punctisque doctissimus classicus &
ab omnibus universitatibus passim receptus , Jo-
annes Molanus . Van Viane Ingeniorum Aqui-
la solidissima , qui quidquid unquam bona eru-
ditionis ab egregiis authoribus repertum ac tradi-
tum est , id universim hic unus absolutè percep-
tum cognitumque habet . Joannes Driedo , Gum-
marus Huyens , Bondart de Theologia quam op-
timè meritus , Daelmannus pervigil Theologæ
Sacerdos , Danesius eruditionis theologicæ præ-
stantiâ admirandus , Hennebellus supra quam dici
possit eruditus , Neesen vir plurima in theologia
claritudine insignitus , Pavveles , Piette , Jodo-
cus à Ravenstein sublimissimæ hujus disciplinæ lon-
gè scientissimus , Hesselius , summa eruditione
præstans , Fromondus , Reverendissimus Michael
Bajus nunquam hæreticus , ut calumniatores og-
ganiunt , sed semper orthodoxus , sapientissimus
juxta ac humillimus , quo teste Toletu Cardina-
le Jesuita nihil doctius , nil humilius , & numero-
sissimi quique Lovanienses , qui datam doctrinam
perpetuo tuebuntur . Recepta est & characteri-
stica in Universitate Duacensi , profitetur eam
Reverendissimus Franciscus Silvius Professor Re-
gius , Publicus & Ordinarius , deinceps Facul-
tatis Theologicæ Decanus , ab omnibus Acade-
miis pro classico receptus . R. D. Matthæus Kelli-
sonus vir purissimæ doct inæ . Reverendissimus
D. Guilielmus Estius Universitatis Duacenæ Do-
ctor famigeratissimus & Cancellarius cum sex-
Diss. Can. Crit.

C

cen-



centis aliis, ubi contraria opinio damnatur temeritatis & falsitatis.

Porro sustinet propugnatum sentimentum Universitas Coloniensis, signanter RR. VV. & EE. DD. Joannes Audifax Xiliander Professor Academicus Publicus & Ordinarius, deinceps facultatis Theologicæ Decanus. R. & Magnificus Dominus Joannes Forsbach, S. Theologiæ Academicus Professor, Parochialis S. Mariæ in litorie Rheni Pastor insignis Collegiatæ ad S. Georgium Canonicus Capitularis, subin Almae Universitatis Rector Magnificus, Jurium ac Privilegiorum conservator Apostolicus. Reverendissimus D. Cornelius Brever Professor Academicus, Sacrae Facultatis Coloniensis Collegiatæ & Parochialis ad S. Severinum Pastor, Canonicus Capitularis Chori- Episcopus. Reverendissimus D. Laurentius Hulsmann S. Theologiæ Professor, prima- riæ Parochialis ad S. Columbam Pastor Collegiarum B. V. Mariæ ad gradus & Perillustris ad S. Ursulam Canonicus Capitularis &c. si distributi- vé & singulatim unde coacervare velimus Theologos, Gabrielem à Costa Coimbræ in Portugalia Theologiæ Academicum Professorem. R. & Eximum D. Carbonem à Castaciario in Alma Pe- rusina Academia SS. Theologiæ Professorem, Conimbricenses ex Lusitania, S. Andrenses ex Scotia, Basilienses ex Helvetia, Cracovienses ex Polonia, Argentinenses ex Germania, Mogun- tinenses, Dilinganos, Trevirenses, Eborenenses ex Portugallia, Erfordenses ex Thuringia, Floren- tinos, Bononienses, Senonenses, Firmanos, Pa- tavinos ex Italia, Friburgenses ex Brisgoja, qui- bus

bus annumerandus est Joannes Casparus Neubeck SS. Theologiæ Professor inibi publicus Academicus , à Maximiliano II. Imperatore Viennam Austriæ evocatus , ob suam insignem scientiam in Cæsareum Consiliarium delectus Episcopus creatus. Herbipolenses , Messanenses ex Sicilia , Pisanos ex Hetruria, Upsalenses ex Suecia, Lipsienses ex Misnia, adhuc Catholica, R. D. Magnum Hund SS. Theologiæ Professorem, R. D. Georgium Dottannium. R. D. Delicianum Epistanten , ex Universitate Viennensi Austriaca : Henricum de Hassia primum Theologiæ Professorem , Thomam de Hallesbach &c. &c. Sunt tantum Pragenses in auxiliu in advocemus à Carolo IV. usque ad Ferdinandum III. sana doctrinâ Bohemiam erudientes æternâ memorîa dignissimos Professores Academicos , qui Universitatis Carolinæ fuere fundamenta scientiarum culmina Artium Patres, primos Magistros Artium. Hermannum de Wintersvik Sacerdotem Ecclesiasticum è Saxoniâ oriundum M. Sacrae Paginæ in Academia Parisiensi & Canonicum Metropolitanum Pragensem Wenceslaum de Praga sacræ Theologiæ cum priore Professorem Regium publicum & ordinarium & deinceps in eadem Universitate nullius Diœceseos Ecclesiae Vissehradensis Canonicos Professores ac Parochos Pragenses tum maximè Canonicos ex Castro Pragensi divi Viti & ab omnibus Sanctis (nullus enim honore Canonici ad omnes SS. potiebatur nisi Senior Professor Theol. ex Universitate Carolina ex decreto Urbani Vti Pontificis, quod in Archivo Capituli omnium Sanctorum asservatur) imo omnes Bohemæ



miæ Parochos, nulla enim Parochia fuit (ut testatur ex Reverendissimo D. Zidek in Glor. Univ. Prag. P. Veiss Clericus Regularis instituti Soc. JESU) quæ non Parochum in Theologia graduatum venerata fuisset, infiniti simus; tot enim habemus Patronos, quot puriora & doctiora sæcula habuere Doctores & Professores de re Ecclesiæ rectè sentientes, novissimè in hanc sententiam abiit Eximus Dominus Sabbatini tota Italiam famatus, qui in opere Italico Romæ, Neapoli & Augustæ approbato intitulato, dissertationes *de prærogativa & sanctitate Status Clericalis*, dissertatione ordine 47. & parte 3. diss. 11. pag. 93. quem vide.

N. XVII. Sexaginta sex Theol. allegavimus præter Universitates cumulatas, nunc Eruditus Lector non minùs avidè excipiat eruditō palato suo consentientes Canonistas, quos suggerimus; præter clarissimam facultatem recensitarum Universitatum nobiscum stant pro perfectionate Status Ecclesiastici præ Religioso, Reverendissimus Clarissimus, & Illustrissimus D. Fleschie Episcopus Nemaensis in suo Jure Can. Reverendissimus Illustrissimus & Clarissimus D. Augustinus Barbofa Canonista Celeberrimus, Vicarius Generalis de hinc Episcopus Uxentinus in J. U. E. Reverendissimus & Clarissimus D. Joannes Clericati, Vicarius Generalis Patavinus in decis. Reverendissimus & Clarissimus D. Zipæus Vicarius Generalis Varsaviensis in Analyt. Jur. Pont. R. & Clarissimus D. Zegerus Bernardus de Espen Sacrorum Canonum Professor Lovaniensis Regius Publicus & Ordinarius, qui primatum perfectionis in suis eru-

eruditissimis operibus Ordini Ecclesiastico defert & in dissert. de vitio simoniæ pag. 28. §. 1. apertissimè negat, vitam Religiosam esse Statum perfectionis exercendæ in verbis : *non ut status perfectionis*, ad stipulantur Canonistæ purpurati, Eminentissimi & Reverendissimi Domini Henricus de Segusio Classicus J. U. Doctor profundissimus Cardinalis Hostiensis. Cardinalis de Luca Jurisprudentiæ cephaleosis, Cardinalis Tuschus præstantissimâ jurisprudentiâ conspicuus, Reverendissimus, Clarissimus & Illustrissimus Dominus Didacus Covarruvias Classicus Episcopus Segobiensis Canonistarum optimus, & optimorum eruditissimus cum Covarruvia mille alii decretalistæ scriptis posteritati transmissis clarissimi, Ecclesiasticum Statum Religioso perfectiorem luculentissimè demonstrant, ut merito ab allegatione Canonistarum jam præscindendum sit, nè sola nomina in justum librum exrescant.

N. XVIII. Probatur V. jam jam hono in lumine collocata Resolutio Ratione. I. Status exercendæ perfectionis est ex se & genere suo absolute perfectior statu acquirendæ perfectionis. Ita Doctissimus Jesuitarum & suos inter Eximius Suarez Tom. 3. de Rel. Lib. 1. Cap. 18. n: 11. Atqui Status Ecclesiasticus est Status exercendæ perfectionis, Religiosus acquirendæ: ergo Status Ecclesiasticus est ex se & genere suo absolute perfectior Religioso. Major videtur indubia, sed nihilominus probetur: Status perfectionis exercendæ supponit perfectionem acquisitam in alios dispensabilem & diffundendam, status per-

C 3

fectio-



fectionis acquirendæ non supponit perfectionem
 acquisitam , sed tantum dicit habitudinem & ca-
 pacitatem ad charitatis intensionem , conseqüen-
 ter purè importat acquisibilitatem & non repug-
 nantiam se se in assiduo virtutum exercitio quali-
 ficandi ; atqui status supponens perfectionem ac-
 quisitam &c. ergò status exercendæ perfectionis ,
 est ex se , & genere suo absolutè perfectior statu
 acquirendæ perfectionis. P. m. Status supponens
 perfectionem acquisitam & purè importat capa-
 citatem & habitudinem ad eam ; ergo status sup-
 ponens perfectionem acquisitam in alios dispen-
 sabilem ac diffundendam est ex se , & genere suo
 absolutè perfectior statu non supponente perfe-
 ctionem acquisitam. P. A. Actus & potentia di-
 stant toto genere , sed status supponens perfe-
 ctionem acquisitam habet se ut actus , status non
 supponens perfectionem acquisitam & purè im-
 portans acquisibilitatem habet se ut potentia : er-
 gò status supponens perfectionem acquisitam di-
 stat toto genere ab illo statu , qui non supponit
 perfectionem acquisitam. Profecto probatur
 minor Principalis argumenti : Status perfectio-
 nis exercendæ est modus vivendi firmus , & sta-
 bilis , in quo quis per acceptationem obligatur ad
 normam ejus Canonum ad quasdam actiones val-
 de nobiles & excellentes exercendas , quibus ali-
 ter ad DEum dirigatur , & DEI gloria major au-
 geatur : atqui Status Ecclesiasticus est modus vi-
 vendi firmus , & stabilis , in quo per acceptatio-
 nem ipse Ecclesiasticus & per consecrationem ob-
 ligatur ad normam canonum ejus ad quas actio-
 nes valde nobiles , & excellentes exercendas ,
 qui-



quibus alter nempe proximus ad DEum dirigatur & DEI gloria major augeatur, quales sunt: fides Christo per salutare Baptismi lavacrum gignere, verbō veritatis solidō nutrire, à peccatis absolvere, Eucharistiâ reficere, Missæ sacrificiō, horis canonicas indies devotè recitatis publicisque precibus adjuvare, matrimonio ligare, viatico confortare, in extremis inungere, demoratuos in cæmeteriis excipere, viventibus in casibus perplexis consilia sugerere, proficua remedia peccatis applicare; parvulis doctrinæ christianæ panem indefesse frangere, unumquemque ad evitationem gravis peccati & venialis deliberrati abstinentiam conari permovere, pauperum, & miserabilium personarum, viduarum, & pupillorum paternam curam gerere, in frigore & æstu inter mille ærumnas & adversitates, tempore belli, pestis, contagionis cum periculo vittæ amittendæ sacramenta ministrare &c. Status Religiosus non est talis modus vivendi, qui ex se & natura sua obligationem contineat ad enumeratas actiones valde nobiles, & excellentes, quibus alter nempe proximus ad DEum dirigatur & DEI gloria extrinseca magis augeatur: ergo Status Ecclesiasticus est Status perfectionis exercendæ: Religiosus acquirendæ: M. est certa, m. quoad primam partem negari non potest nisi à pertinaci, qui congregatas supra actiones statui Ecclesiastico proprias pro nobilibus & excellentibus non agnoscit. Quoad secundam partem probatur, Religiosis sub sententia excommunicationis majoris lata inhibetur administratio sacramentorum viatici Eucharistiæ etiam tantum ex devo-



devotione sive licentia Paræcialis Presbyteri porrígendæ, extremæ unctionis. Interdicitur à Pontificibus ipso jure sacro sub reatu peccati mortalis avocatio & abstractio à Parochialibus Ecclesiis, promulgatio indiscretarum indulgentiarum; quod totum exprimit Clem. Religiosi de Priv. & excessi Priv. desumpta ex concilio oecumenico Viennensi. Sed hoc ipso quod inhibeatur administratio Sacramentorum Viatici Eucharistiae, extremæ unctionis, assistentia matrimonialis, promulgatio indulgentiarum, quibus populus à sua abstrahitur Ecclesia, quæ actiones sunt in se valde nobiles & excellentes, Status Religiosus non est modus vivendi firmus, & stabilis qui ex se & natura sua obligationem contineat ad recitatas actiones valde nobiles, & excellentes, quia non potest dari obligatio ad actiones ipso jure graviter vetitas & sub censura interdictas, ut pensanti rem evidens est: ergo Status Religiosus non est modus vivendi firmus, & stabilis, qui ex se & natura sua obligationem contineat ad enumeratas actiones valde nobiles & excellentes. Major est juris & de jure claro, minor evidens, consequentia legitima.

N. XIX. Probatur II. ratione: Status perfectionis qua talis specificatur ab actibus, ad quos ordinatur, ita ut ille status sit absolutè perfectior altero, qui prescribit nobiliores, & digniores actus, quique pluribus, aptioribusque mediis, & exercitiis perfectionem monstrat, ut est in confesso apud Doctores; atqui Status Ecclesiasticus prescribit nobiliores, & digniores actus Sta-

tu

tu Religioso , pluribus aptioribusque mediis & exercitiis perfectionem monstrat : ergo Status Ecclesiasticus est absolutè perfectior Religioso . P. m. Status Ecclesiasticus præscribit functiones Pastorales meliorem non tantum Ecclesiasticum , sed & alios reddentes , præcavet peccata per statuta conciliorum oecumenicorum , Nationalium , Provincialium , Diœcesanorum , jugulat vitia , tollit publica scandala , enecat impuritatem castitate ordinibus annexa , ambitionem contemptu & humili de se sentimento . Absunt in hoc statu prava Superiorum exempla , quæ seducant adeo ut nisi quis sponte se præcipitare velit in ruinam , facillimè sinè ullo graviore lapsu vivere possit : adsunt media efficacissima ab ordinariis suggesta , uti sunt instructiones , varia opuscula & doctrinalia , & ascetica clero commendata , meditaciones , spiritualia exercitia , & ipse cursus vitæ Ecclesiastice cogit Ecclesiasticum esse bonum . Vivenz in Statu Ecclesiastico sub directione Episcopi semper potest esse certus , se facere voluntatem DEI , ille enim dixit de Episcopis ; *qui vos audit me audit* , unde Ecclesiasticus nunquam potest errare , modò ex voluntate ordinarii secundum statuta suæ Diœceseos , litteras patentes annuas , circulares , encyclicas , & Rituale Diœcesanum procedat . In hoc vitæ genere habetur occasio plurima merita congregandi ex tot bonis operibus & quotidiano iugi virtutum exercitio , maximè cum omnis Ecclesiastici actio sit continua jam hujus , jam alterius virtutis , jam modestiæ , jam affabilitatis , jam humilitatis , jam zeli , jam fortitudinis , & constantiæ , modò despectus sui , mo-

C 5

dò



dò misericordiæ , modò heroicarum , & planè divinarum virtutum fidei , spei , & charitatis indesinentis exercitatio , quorum actuum meritum plurimum ex eo crescit , quod fiant ex præscripto & ordinatione ordinarii , talia enim opera sunt DEO gratiora , plùsque merentur , quàm alia sponte assumpta . Vel clariùs . Status Ecclesiasticus præscribit & obligat ad Concciones , Catecheses , Administrationem Sacramentorum in quacunque intemperie & periculo , ad Missæ celebrationem , ad zelum in curandis animæ morbis , ad cohortationes , & conversationes publicas ad hunc finem cœlesti curiæ valde proficuum , ut augeatur gloria DEI magis magisque . {

Cum autem gloria DEI extrinseca in hoc consistat , ut DEUS ab omnibus semper magis cognoscatur , ametur , & laudetur , hanc cognitionem mentibus hominum ingenerare , & inferre , hunc amorem instillare , hanc laudem procurare proprium est Ecclesiastico Statui . Illius est Hyperdulicum cultum B. V. Mariæ , & Sanctorum publicè promovere , festa eorum reverentissimè , & devotissimè celebrare , imagines sacras & reliquias pientissimè , & solicitissimè proponere , asservare , honorare . Illius est gesta sanctorum , ac laudes pro concione ad imitandas eorum vitas explicare , ad cultum dulicum potenter allicere . Illius est congregations , & confraternitates Sanctorum instituere , & sinè quæstu administrare , hæc omnia ex officio agere : illius est purgare illuminare , perficere ; illius est peccatorem per avia , & invia magno labore , & sudore quærere , in-

inventum velut onus gratissimum in humeros recipere , inveteratum & damnationi proximum Erebo eripere , paucis complectar omnia : tantas status iste in se continet excellentias, quas solus DEUS æstimare & declarare potest , divinissimum censetur esse opus , DEI Ministrum agere in animabus cœlo transcendendis homini maximè meritorium , æque ac gloriosum est Christo cooperari in salutem animarum , ut rectè advertit S. Bernardus. Atqui hi actus sunt nobiliores & digniores , plura & aptiora media , & exercitia perfectionem commonstrantia quàm præscribat Status Religiosus : ergo Status Ecclesiasticus præscribit nobiliores , & digniores actus pluribus & aptioribus mediis , & exercitiis perfectionem commonstrat. P. m. Status Religiosus præscribit tantum observantiam votorum à sede Apostolica approbatorum , & à plerisque præattactis mediis & exercitiis strictissimè arcetur : Religioso enim non licet publicè Doctrinam Christianam docere obstante Canone juxta 11. 16. q. 1. (qui est Alexandri II. Pontificis maximi gerentis Pontificatum Anno 1061.) desumpto ex œcumenico Concilio Chalcedonensi Cap. 4. ibi : „Juxtà „Calcedonensis tenorem optimi Concilii Mona„chis quamvis Religiosis ad normam S. Benedicti „intra claustrum morari præcipimus , vicos , ca„stella , civitates peragrare prohibemus , & à po„pulorum prædicatione omnino censuimus cessa„re , nisi fortè quis de suæ animæ salute sollici„tus , ut eorum habitum assumat eos intra clau„strum consulere voluerit.“ Religiosis non licet concionari inhibente severè ipso jure Pontificio
Can.



Canone adjicimus 19. 15. 9. 1. ibi : „Adjicimus
 „illud etiam, quod nobis propter improbitatem
 „quorundam Monachorum Religionis vestræ ver-
 „bo mandatis per vicarios nostros & hoc specia-
 „liter statuentes, ut præter Domini sacerdotes
 „nullus audeat prædicare. Sive Monachus sive
 „Laicus ille sit qui cujuslibet scientiæ nomine glo-
 „rietur Canon iste est Authenticus. Leonis
 „Pontificis rescribentis Theodorico Episcopo
 „Cypri. Ep. 63. & refertur à Reverendissimo Bur-
 „chardo L. 1. Cap. 158. Religiosis non licet Sa-
 „cramenta ministrare obstante decreto Eugenii
 „Episcopi Catholici teste Anselmo L. 5. Cap. 75. &
 „L. 6. Cap. 213. quod refert in Canone placuit
 „8. 16. q. 1. ibi : Placuit communi nostro conci-
 „lio, ut nullus Monachorum pro lucro terreno
 „de Monasterio exire nefandissimo ausu præsu-
 „mat, neque pænitentiam dare, neque filium
 „de baptismo accipere, neque baptizare, ne-
 „que infirmum visitare, neque mortuum sepelire,
 „neque ad Ecclesiam sæcularem transire, neque
 „aliis qualibuscumque negotiis se se implicare, sit
 „claustro suo contentus, quia sicut piscis sine a-
 „qua caret vita, ita sine Monasterio Monachus.“
 „Sedeat itaque solitarius & taceat, quia mundo
 „mortuus est, DEO autem vivus, agnoscat no-
 „men suum, monos enim græcè, latine est unus;
 „Achos græcè, latine tristis sonat, inde dicitur
 „Monachus, idest unus tristis, sedeat ergo tristis
 „& officio suo vacet.“ Consonat decretum Pa-
 schalis II. sedentis in Cathedra Petri Annō 1099.
 quod annotavit Anselmus I. 5. cap. ult. & refer-
 tur canone pervenit 916. q. 1, ibi : „Pervenit ad
 nos

„nos unde valde miramur, quod quidam Monachi
 „& Abbates in Parochia vestra contra SS. PP.
 „Decreta Episcopalia jura & officia sibi arrogan-
 „ter vendicant, videlicet pœnitentiam, remissio-
 „nem peccatorum, reconciliationem, decimas, &
 „Ecclesiæ cùm absque proprii Episcopi licentia, vel
 „Apostolicæ Sedis autoritate id nullatenus præ-
 „sumere debeant, sicut in *Calcedonensi Concilio*
 „de hujusmodi à sanctis Patribus cautum est &
 „sub *Anathematis vinculo Monachis omnibus pro-*
 „*bibitum*, mandamus itaque dilectioni tuæ, ut
 „eos convenias, & ne talia deinceps præsumant
 „omnino prohibeas.“ Hæc scripsit Paschalis II.
 Victorii Episcopo Bononiensi. Coincidit ferè Ca-
 lixti Papæ II. Ecclesiam Catholicam regentis an-
 no 1119. sanctio expressa Canone *interdicimus*
 10. 16. q. 1. ibi. „Interdicimus etiam Abbatibus
 „& Monachis publicas pœnitentias dare, infir-
 „mos visitare & unctiones facere - chrysina
 „& oleum, consecrationes Altarium, Ordines
 „Clericorum ab Episcopis accipiant in quorum
 „Parochiis manent.“ Religiosis non licet Mis-
 sam, ad quam populus confluat, célébrare,
 prohibente strictissimè mox citato Pontifice &
 Canone in verbis: *Interdicimus Abbatibus &*
Monachis Missas publicas cantare. Denique Re-
 ligioso qua purè Religioso nulla vi instituti sui a-
 ctio ad alterum præcipitur ex esse generico Reli-
 giosi, imò verò omnis Ecclesiastica functio inter-
 dicitur à Concilio Generali Calcedonensi Cap. 4.
 è quo recitat canon *qui verè 12. 16. q. 1.* hæc
 formalia: Regulares non posse neque communica-
 re Ecclesiasticis neque saeculares aliquas attracta-
 re



*re actiones relinquentes propria Monasteria nisi
forte jubeantur propter urgentes necessitates , à
propriæ civitatis Episcopo. Idem decernit S.
Gregorius Pontifex scribens Joanni Ravennati
Episcopo L. 4. ep. 1. ibi : nemo potest & Ecclesiasticis obsequiis deservire & in Monachica Regula
ordinate persistere , ut ipse Monasterii districtio-
nem teneat , qui quotidie in Ministerio Ecclesia-
stico cogitur permanere. Itè refert Can. nemo
16. q. 1. sed hoc ipso quod Status Religiosus præ-
scribat tantum observantiam votorum silentia ,
mortificationes & horum similia , dictet , & ar-
ceatur à præattactis mediis non præscribit dignio-
res actus nec pluribus aut aptioribus exercitiis per-
fectionem commonstrat , ut patet consideranti præ-
stantiam & pluralitatem horum actuum : ergo Status
Ecclesiasticus præscribit nobiliores & digniores a-
ctus , quam Religiosus pluribus & aptioribus me-
diis & exercitiis perfectionem commonstrat. Ac-
cedit actus ex præscripto Status Religiosi ponibi-
les nunquam ascendere ad perfectionem charita-
tis erga alterum ut anima pro eo ponatur : ergo
manent semper in gradu inferiore.*

N. XX. Probatur III. Status mixtus ex vita a-
ctiva , & contemplativa est absolutè perfectior sta-
tu consistente in vita per se loquendo tantùm
contemplativa. Ità S. Thomas 2. 2. q. 179. &
180. a. 4. & 5. atqui Status Ecclesiasticus est mix-
tus ex vita activa & contemplativa , Religiosus
Status per se loquendo consistit in vita tantùm
contemplativa : ergo Status Ecclesiasticus est abso-
lutè perfectior Religioso. M. est S. Thomæ, m. argu-
menti quoad primam partem utpote Juris explora-
ti

ti suppono tanquam certam. II. Probo : vitæ contemplativæ est orare, psallere, meditari, docere veritatem intelligibilium, ut in consideratione & amore alter delectetur, ita Angelicus 22. q. 181. & 182. a. 2. ad 3. relatus in Theol. Colon. pagina mihi 322. n. 4. sed Status Ecclesiastici est orare, is enim tenetur ad horas Canonicas, ad litanias majores, in quatuor temporibus ad Psalmos graduales, pœnitentiales, certis temporibus ad officium defunctorum. Illius est psallere cum sit obligatus ad psallendum in Choro in Cathedralibus Ecclesiis, obligatur cantare in Missa solenni orationes, Præstationem, Orationem Dominicam, ite missa est, vel requiescant prout fert Ritus Missæ & Rubricæ concedunt. Psallit in Matutino solemini, cum ad cæremonias mysteria nostræ fidei recoluntur. Illius est meditari ante administrationem Sacramentorum eorum excellentiam, mysteria nostræ Religionis frequentissimè considerare & suas obligationes perpendere, ac juxta præscriptum Rubricarum indies in sacrificio Missæ post sumptionem Sanctissimi piamente ditatione (quæ utilis est omnium magis) detiniri, tum annuè se se in spiritu recolligere. Illius est ante unamquamque functionem se se recolligere mentaliter & tota vitâ cœlestibus considerationibus (quarum objecta semper præsentia habet) inhærere ; unde sapientissimè censet Reverendissimus D. Bayerlink in suo promt. morali, actiones Ecclesiastici *ex contemplatione profluere*. Docet Status Ecclesiasticus Christianos veritatem intelligibilem jam perfectionum divinarum, omnipotentiæ, misericordiæ, æternitatis, immensitatis



sitatis &c. jam Patriæ cœlestis dotium , Aureolarum beatæ perennitatis &c. docet contemplari mysteria fidei , cæremonias , & sacros ritus , ut per hæc fideles in cognitionem divinæ Majestatis deveniant , ad creatoris sui amorem accendantur , atque in ejus consideratione delectentur : ergo Status Ecclesiasticus est mixtus ex vita etiam contemplativa.

N.XXI. Probatur IV. Decisio ratione: Status qui ordinatur ad docendum , & prædicandum , est perfectior quovis statu , qui ad docendum & prædicandum non ordinatur. Ità penna Aquinatica 22. q. 188. a. 6. Cotonius L. 4. Controv. 11. n. 20. sed Status Ecclesiasticus ordinatur ad docendum & prædicandum , Religiosus ex se & genere suo ad hæc non ordinatur , ergo Status Ecclesiasticus est perfectior Religioso. P. m. in priuis Status Ecclesiasticus ex se & genere ordinatur ad docendum : ergo una pars est vera.

P. A. Ecclesia attribuit docturam scientiarum Statui Ecclesiastico, ut jura loquuntur , patet id manifestè ex Concilio Lateranensi anno 1102. celebrato , quod refert Cap. quoniam IX. de Magistris ibi statuitur , „ quoniam Ecclesia DEI „ sicut pia Mater providere tenetur , nè pauperibus , qui pauperum opibus juvari non possunt , „ legendi & proficiendi opportunitas subtrahatur , „ per unam quamque Cathedram Ecclesiam „ Magistro , qui Clericos ejusdem & scholares „ pauperes gratis doceat competens aliquod beneficium præbeatur , quo docentis necessitas „ sublevetur & discentibus via pateat ad doctrinam , in aliis quoque restituatur Ecclesiis seu „ Ma-

„Magisteriis, si retroactis temporibus aliquid in
„eis fuerit deputatum.

Sic quoque statuit Innocentius III. fel. record.
in Concilio Lateranensi anno 1216. signanter
Cap. II. ejus Concilium insertum corpori juris
L. 5. Decret. tit. 5. de Mag. Cap. quia 4. ita ha-
bet: „quia nonnullis propter inopiam, & op-
portunitas proficiendi subtrahitur, in Latera-
nensi Concilio pia fuit institutione provisum, ut
per unam quamque Cathedralem Ecclesiam Ma-
gistro, qui ejusdem Ecclesiæ Clericos, aliósque
Scholares pauperes gratis instrueret, aliquod
competens beneficium præberetur, quo & do-
centis revelaretur necessitas, & via pateret di-
scēntibus ad doctrinam; verū quoniam in mul-
tis Ecclesiis id minimè observatur: nos prædictum
roborantes statutum adjicimus, ut non solum in
qualibet Cathedrali Ecclesia, sed etiam in aliis, qua-
rum sufficere poterunt facultates, constituatur
Magister idoneus à Prælato cum Capitulo seu ma-
jori & saniori parte capituli eligendus, qui Cle-
ricos Ecclesiarum in Grammaticæ Facultate ac
alios instruat juxta posse. Sanè Metropolis Ec-
clesia Theologum nihilominus habeat, qui sacer-
dotes & alios in *sacra Pagina doceat* & in his præ-
sertim informet, quæ ad curam animarum specta-
re noscuntur, assignetur autem cuilibet magistro-
rum à capitulo unius præbendæ proventus, &
pro Theol. à Metropolitano tantundem, non quod
propter hoc efficiatur Canonicus, sed tamdiu
redditus ipsos percipiat, quamdiu persistiterit in
docendo, quodsi vero de duobus Magistris Eccle-
sia Metropolis gravetur, Theologo juxta modum

Diss. Can. Crit.

D

præ-



prædictum ipsa provideat : Grammatico vero in
 alia Ecclesia suæ civitatis sive Diœcesis, quæ suffice-
 re valeat , faciat provideri. Hæc firmat Hono-
 rius III. Cap. *super specula* X. de Mag. ibi : „volu-
 „mus & mandamus , ut statutum in Concilio Ge-
 „nerali de Magistris Theologis per singulas Me-
 „tropoles statuendis inviolabiliter observetur ,
 „statuente , ut quia super hoc propter raritatem
 „Magistrorum se possent forsitan aliqui excusare
 „ab Ecclesiarum Prælatis & Capitulis ad Theolo-
 „giæ Professionis studium aliqui docibiles destinen-
 „tur, qui cum docti fuerint in DEI Ecclesia velut
 „splendor fulgeant firmamenti (Auth. habita C.
 „nè filius pro patre) ex quibus postmodum copia
 „possit haberi Doctorum , qui velut stellæ in per-
 „petuas æternitates mansuri ad justitiam valeant
 „plurimos erudire , quibus si proprii proventus
 „Ecclesiastici non sufficiunt ; prædicti necessaria
 „subministrent docentes verò in Theologica Fa-
 „cultate , dum in scholis docuerint & studentes
 „in ipsa integrè annos quinque percipiānt de li-
 „centia Sedis Apostolicæ proventus præbendarum
 „& beneficiorum suorum non obstante aliqua alia
 „consuetudine vel statuto , cum denario fraudari
 „non debeant in vinea Domini operantes . “ Jus
 novissimum Tridentini addit Sess. 5. cap. 1. Episco-
 pos Clero de Professore Theologiæ providere de-
 bere , qui si non reperiatur præstimonium primum
 canonicatum vacantem capeſſat ; „in Ecclesiis (de-
 cernit Concilium) „Metropolitanis vel Cathedra-
 „libus , si civitas insignis vel populosa ac etiam in
 „collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido
 „etiam nullius Diœcesis , si ibi clerus numerosus
 „fue-

• ☀ • ☀ •

„fuerit, ubi nulla præbenda aut præstimonium seu
 „stipendium hujusmodi deputatum reperitur,
 „præbenda quomodo cunque præterquam ex cau-
 „sa resignationis *primo vacatura*, cui illud onus in-
 „compatibile injunctum non sit, ad eum usum ip-
 „so facto perpetuo constituta & deputata intelli-
 „gatur, & quatenus in ipsis Ecclesiis nulla vel non
 „sufficiens præbenda foret; Metropolitanus vel
 „Episcopus ipse per assignationem fructuum alicu-
 „jus simplicis beneficii, ejusdem tamen debitum be-
 „supportatis oneribus, vel per contributionem be-
 „neficiorum suæ civitatis & Diœcesis, vel alias
 „prout commodiùs fieri potuerit de Capituli Con-
 „silio ità provideat, ut ipsa sacræ scripturæ lectio
 „habeatur; ità tamen ut quæcunque aliæ lectiones
 „vel consuetudines vel quavis alia ratione institu-
 „tæ propter id minimè prætermittantur. Ità SS. Sy-
 nodus, quæ ut magis scholis instituendis & melius
 provideatur, Theologiam, Ritus, & quæ ad Sa-
 cramentorum Administrationem pertinent vult
 doceri per Canonicum, qui ideo scholasticus dici-
 tur, obligatus in Seminario Clericorum Ecclesiasti-
 corum altiores scientias tradere. Sic enim sonat
 lex Tridentina Sess. 23. cap. 13. §. „Deinde ibi:
 „Deinde statuit sancta Synodus, ut Episcopi, Ar-
 chi-Episcopi, Primates & alii locorum ordinarii
 scholasterias obtinentes, & alios quibus est lectio-
 nis vel doctrinæ munus annexum ad docendum in
 ipsis scholis instituendos per se ipsos, si idonei fue-
 rint, alioquin per idoneos substitutos ab eisdem
 Scholasticis eligendos & ab ordinariis approban-
 dos etiam per subtractionem fructuum cogant &
 compellant, quod si judicio Episcopi digni non

D 2

fue-



„fuerint, alium qui dignus sit, nominent omni ap-
 ,pellatione remota, quod si neglexerint, Episcopus
 „ipse deputet, docebunt autem prædicti, quæ vi-
 „debuntur Episcopo expedire. De cætero verò
 „officia vel dignitates illæ, quæ Scholaſticæ dicun-
 „tur, non nisi Doctoribus vel Magistris aut Licen-
 „tiatis in sacra pagina aut in Jure Canonico, & aliis
 „personis idoneis, & qui per se ipsos id munus ex-
 „plere possint, conferantur, & aliter facta provisio
 „nulla sit & invalida non obſtantibus quibusvis
 Privilegiis & consuetudinibus. Hactenus Con-
 cilium.

Videmus in præstantissimis orbis Universitatibus tradere Ecclesiasticos in Parisiensi, in Sorbona, in Lovaniensi tradunt Canonici Cathedrales Antverpienses, in Cracoviensi Canonici Cracovienses, ità quidem, quod ad duodecim milliaria in circum nulli liceat Regularium nec privatam neque parvam scholam tradere, in Erfordiensi, in Alma Coloniensi &c. &c. Ergo Status Ecclesiasticus ordinatur ad docendum; atqui etiam ordinatur ad prædicandum; ergo & altera pars est vera. P. subſ. m. *Præcepto divino mandatum est omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas verbi divini prædicatione pascere.* Ità Trid. Sess. 23. cap. 1. Can. *sicut 7. q. 1. Can. præcipue 11. q. 3. Can. gloria Epist. 12. q. 2. tum Glossa in Can. binc est 159. q. 1. Clericus babet Officium docendi & pascendi populum:* ergo Status Ecclesiasticus ordinatur etiam ad prædicandum, quia illi incumbit curare animas, & pascere populum ex officio & natura sua, & non de licentia alterius. Contra Status Religiosus, ut ad alteram partem probandam accedamus
 nec

nec ordinatur ad docendum ex se, & genere suo & quā talis nec prædicandum, non ad docendum: ergo una pars est vera. P. A. *Monachus non Doctoris sed plangentis habet Officium, qui vel se vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur aduentum:* scribit Docttor Ecclesiæ oraculō Maximus ipse Hieronymus noster Ep. ad Rip. Presb. ergo Status Religiosus ex se & genere suo non ordinatur ad docendum. Atqui etiam præcisè ex se & genere suo non ordinatur ad prædicandum: ergo & altera pars est vera. P. subl. m. ex S. Aquinate, qui inquirens utrum aliqua Religio possit institui ad prædicandum, hoc inter alia pro parte negativa format argumentum. *Id, ad quod Religio instituitur, videtur esse maximè proprium Religioni; sed prædicti actus (inter quos ibi exprimit prædicacionem) non sunt propriè Religiosorum, sed Prælatorum: ergo ad ejusmodi actus non potest aliqua Religio institui,* ità in terminis Angelicus 22. q. 188. a. 4. ad 2. ergo Status Religiosus etiam non ordinatur ad prædicandum, & quomodo ordinaretur? cum ei prædicatio, ut jam vidimus à jure inhibetur?

XXII. Probatur Decisio ratione V. Status, qui maximè assimilatur vitæ Christi, est absolutè perfectior aliis omnibus; atqui Status Ecclesiasticus maximè assimilatur vitæ Christi: ergò est absolutè perfectior aliis omnibus. M. ab adversariis admittitur. m. commendatur: ille status maximè assimilatur vitæ Christi, qui magis cæteris accedit ad finem incarnationis Dominicæ, atqui Status Ecclesiasticus magis cæteris accedit ad finem incarnationis Dominicæ, ergò maximè assimilatur vitæ Christi.

D ;

P. m.



P. m. Christus Dominus , definiente Concilio Ni-
cæno : propter nos & propter nostram salutem de-
scendit de cælis, & incarnatus est ; hic erat finis in-
carnationis ; atqui huic, ut consideranti evidens est
magis cæteris accedit Status Ecclesiasticus : ergo
Status Ecclesiasticus magis cæteris accedit ad fi-
nem incarnationis Dominicæ.

N. XXIII. Probatur & stabilitur decisio VI. Ra-
tione : Satus ex essentia genere & natura sua Pres-
byterorum, & Clericorum est absolutè perfectior
omni eo, qui ex essentia & genere, & natura sua
non est clericorum, & Presbyterorum ; atqui Sta-
tus Ecclesiasticus est ex essentia , genere & natura
sua Clericorum & Presbyterorum. Religiosus
non est ex essentia genere, & natura sua Clerico-
rum & Presbyterorum : ergo Status Ecclesiasticus
est absolutè perfectior Religioso. M. est certa. m.
quidem sat clara quoad utramque partem. Quoad
primam, quia diversa jura Statui Ecclesiastico Pres-
byteratum attribuunt sic compellantur Ecclesiasti-
ci à S. Jacobo Apostolo in Ep. Can. cap. 5. *Presby-
teri in Concilio Nicæno can. 16. in can. Aposiolorum*
can. 57. & 58. can. Presbyter , 2. q. 5. can. *omnis
Presbyter dist. 4. cap. ut Dominicis de Paroch.* &
in aliis juribus à clarissimo Gonzalez in C. cap. cu-
mulatis. Et implicant esse Ecclesiasticum & non esse
Clericum vel Presbyterum, non enim potest dari Mi-
nister DEI & subiectum exercendæ perfectionis sine
disputatione ad cultum DEI vel consecratione.

Quoad secundam partem clarescit ex iis, quæ
eruditissima Eminentissimi Cardinalis de Luca no-
tavit penna in Theat. just. & verit. disc. 1. de Reg.
ibi : „certum est, atque apud omnes scriptores
con-

„concorde, quod antiqui sive Anachoretæ aliique
 „Regulares, qui à Monachis discreti mendican-
 „tes dicuntur, non erant Clerici, imò clericari
 „prohibiti erant, ideoque more reliqui populi
 „sæcularis sub Parocho vivebant, à quo Sacra-
 „menta aliaque divina recipiebant, indeque pro-
 „diit, quod decimas reliqui populi more solve-
 „bant. Ità Eminentissimus Luca. “ Attamen
 probatur saltem quoad II. partem. Status Reli-
 giosus est ex essentia, genere, & natura sua per-
 sonarum tantùm tribus votis substantialibus, pau-
 pertatis, castitatis, & obedientiæ à sede Aposto-
 stolica solemnizatis ligatarum, atqui status per-
 sonarum ex essentia, genere & natura sua tantum
 tribus votis substantialibus paupertatis, castita-
 tis, & obedientiæ à sede Pontificia solemnizatis
 ligatarum, non est ex essentia, genere & natu-
 ra sua Clericorum & Presbyterorum imo nec Mi-
 noristarum, quinimo neque tonsuratorum, alias
 Religiosi professi Laici, quos alii conversos, alii
 oblatos alii charissimos vocitant, non essent Re-
 ligiosi, nec recenter professi nondum primâ ton-
 surâ initiati, ergo Status personarum tribus tan-
 tum votis substantialibus paupertatis, castitatis,
 & obedientiæ à Sede Apostolica solemnizatis li-
 gatarum non est ex essentia genere, & natura sua
 Clericorum, & Presbyterorum, imò de essentia
 Religiosi nec sunt Ordines minores, neque prima
 tonsura, potest enim esse Religiosus, quin ullum
 characterem alicujus Ordinis Ecclesiastici gestet;
 sed sine aliquo ex ordinibus, vel saltem tonsura
 nequit simpliciter dari Ecclesiasticus.

N. XXIV.



N. XXIV. Confirmatur I. Status Ecclesiasticus est absolutè dignior , & nobilior cœteris statibus , „quia perfectionem aliis majorem requiri rit , & actu exercere debet , & in alios derivare tanquam Status DEO proximior , atque similior tanquam status doctrinâ , scientiâ , & virtutibus præstantissimus , quæ tanquam in fonte considerantur , & supponuntur & statui propria nobilitatem excelsam tribuunt , & Ordini Angelorum Hierarchico comparant . Ità Reverendissimus D. Joannes Marangoni Canonicus Annagniensis in Thes. Parochorum Romæ ab Officio qualificationis plausibiliter approbato , & Benedicto XIII. dedicato pagina mihi 8. & docet noster S. Ignatius Martyr. in Ep. S. ad Smyrnenses : *Sacerdotium est summa bonorum omnium , quæ in hominibus sunt , apex , nobilissimâque membrorum Christi pars ; ergò etiam Status Ecclesiasticus est absolutè perfectior cæteris statibus.*

N. XXV. Confirmatur II. Status Ecclesiasticus est utilior ipsi publico & saluti generis humani magis proficuus præ Religioso , quia intrinsecè respicit utilitatem sui & alterius , est magis necessarius & quidem absolutè necessarius , quo extinto extinqueretur vera Ecclesia : ergo etiam est absolutè perfectior Religioso .

Stant itaque prorsus invictæ omni ex capite probationes . Argumenta opponibilia uniuscujusque eruditii ingenii facunditas enervare poterit , & sic emensis metam curriculi jam attigimus .

Omnia ad Laudem DEI. cap. I. x. de officio Custodis.

Zus canon. 9. 62. ^{hd}

